DE

COLLEGIIS ET SODALICIIS ROMANORUM

SCRIPSIT

TH. MOMMSEN.

ACCEDIT INSCRIPTIO LANUVINA.

KILIAE.

IN LIBRARIA SCHWERSIANA.

MDCCCXLIII.

DE

COLLEGIIS ET SODALICIIS ROMANORUM

SCRIPSIT

TH. MOMMSEN.

ACCEDIT INSCRIPTIO LANUVINA.

KILIAE.

IN LIBRARIA SCHWERSIANA.

MDCCCXLIII.

Iuris prudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia.

VIRIS CLARISSIMIS

G. C. BURCHARDI,

I. U. D. ET PROF. PUBL. ORD.

E. OSENBRÜGGEN,

PH. ET I. U. D.

IURIS SCIENTIAE RERUMQUE ANTIQUARUM

MAGISTRIS SUIS

IN MEMORIAM PROXIMI QUINQUENNII.

ARGUMENTUM.

DE SODALITATIBUS ET COLLEGIIS.

CAP. I.

DE SODALITATIBUS SACRIS.

§ 1.

Inde ab antiquissimis temporibus fuerunt in populo Romano coetus quidam rei sacrae causa constituti, maxime ad peragenda solemnia epula, quae deorum colendorum causa celebrabantur. Qui coetus dicebantur *sodalitates* iisque qui intererant *sodales* [1], nominati iam in lege XII tabularum [2]. Ne apud Romanos quidem rerum antiquarum periti reperiebant, quo tempore primum institutae essent, unde ut prisca omnia Romulo attribuebantur. Tuditanus apud Macrobium [3] *Romulum* ait *communicato regno cum T. Tatio sacrificiis et sodalitatibus institutis nundinas quoque adiecisse.* De sodalibus his sodalitatibusque hic agemus. Ante tamen quam locum in rebus sacris perficiendis iis attribu-

[1] *Sodalis* ita differt ab *amico*, ut hic animi caritate, ille civili magis ratione nobiscum coniunctus sit. Quae ab amico amicitiae iure expetimus, flagitamus a sodali iure civili. Saepe tamen sodalis is est, quocum epulas feriasque celebrare consuevimus. Döderlein Synon. IV, 205 sq.

[2] l. 4 D. de coll. et corp. XLVII, 22. Dirksen Zwölftafelfragm. p. 625 sq. (tab. VIII fr. 27).

[3] Saturn. I, 16. Post receptos demum Sabinos, qui scil. erant rerum sacrarum populi Romani omnium primi auctores conditoresque.

tum investigemus, proponenda nobis sunt generaliora quaedam de necessitudine illa, quam maximam inter sodales intercessisse constat.

Paul. Diac. p. 140 Lind. (p. 296 Müll.) Sodales dicti quod una sederent et essent vel quod ex suo datis vesci soliti sint vel quod inter se invicem suaderent quod utile esset.

unde facile suppletur Festi locus p. 241 Lind. (297 Müll.) Sodalis *quidam dictos esse pu*tant quod una s*ederent essentque*; alii quod ex suo *datis vesci soliti essent*; alii quod inter se *invicem suade*rent quod utile ess*et. Iidem quod coeunt* crebro, congre (l. congerae) [4] voca*bantur a Graeco* vocabulo quod est γέῤῥα.

Ex his variis definitionibus magis quam derivationibus [5], quae ad arctissimam vitae coniunctionem omnes spectant, maxime memorabilis est secunda, quae a Graecorum συσσιτίοις videtur petita.

Aristot. de rep. II, p. 49 Bekk. οὐ καλῶς δ' οὐδὲ περὶ τὰ συσσίτια τὰ καλούμενα φιδίτια νενομοθέτηται (apud Lacedaemonios) τῷ καταστήσαντι πρῶτον· ἔδει γὰρ ἀπὸ κοινοῦ μᾶλλον εἶναι τὴν σύνοδον καθάπερ ἐν Κρήτῃ· παρὰ δὲ τοῖς Λάκωσιν ἕκαστον δεῖ φέρειν καὶ σφόδρα πενήτων ἐνίων ὄντων καὶ τοῦτο τὸ ἀνάλωμα οὐ δυναμένων δαπανᾶν.

Quas concenationes cum apud ceteros Graecos usitatas [6] tum commemoratas in lege Solonis, unde Gaius hanc XII tabb. legem tractam esse auctor est, apud Latinos quoque olim in usu fuisse non sine ratione suspiceris, cum praesertim Aristoteles primam earum institutionem ad Italiam

---

[4] Cod. vocar . . . . Müller: eosdem — conger*as* vocari. — Cf. Lucil. ap. Fest. v. Tapullam legem rident concerae (l. congerae) opimi. Varr. VII, 55.

[5] Verbi origo incerta est; mihi magis quam Döderlini opinio, qui a sociando corruptum esse putat, placet comparare verba *suavis*, ἡδύς. Cf. Lindem. ad Fest. l. c.

[6] Cf. Arist. II, p. 53.

quae ei dicitur referat [7]. Fatendum tamen est huius rei testimonia nos plane deficere; nam sodales qui commemorantur, non cenas ordinarias communes habent, sed epula tantum et ferias solemnes [8], glossae vero unius grammatici nimis incerta auctoritas est ad hanc rem adstruendam.

Hac vitae coniunctione effectum est, ut sodales inter necessarios numerarentur et cum cognatis copularentur.

Q. Cic. de P. C. c. 5: „amici ex causa honestiore, cognationis aut affinitatis aut sodalitatis aut alicuius necessitudinis."

Cic. Brut. 45, 166: homo nobilis „cognatione, sodalitate, collegio."

Cic. pro Sull. 2, 7: „nonne sodales, non collegae, non veteres amici — defuerunt?" Eosdem paullo ante necessarios dixit.

Auct. ad Herenn. I, 5, 13: hospitium, sodalitatem, affinitatem.

L. Servilia ll. mox indicandis.

Maior etiam dignitas sodalitati tribuitur.

Cic. de orat. II, 49, 200. „me pro meo sodali, qui mihi in liberum loco more maiorum esse deberet, — decernere [9]." Cf. 47, 197.

Cf. etiam Cic. in Verr. L. I, c. 37, ubi de „*officiis tutelae, sodalitatis, familiaritatisque*" sermo est, praeterea Lentul. in Cic. epp. ad fam. XII, 14, 4. Cic. de N. D. III, 32, 80 [10].

---

[7] Ib. L. VII. p. 196.

[8] Hanc ob causam sodales etiam a Graecis non *σύσσιτοι* appellantur, sed *θιασῶται* (Dio Cass. LVI, 46. LVIII, 12. coll. Joseph. antiqu. XIV, 10, 8.) qui et ipsi nominantur in lege Solonis apud Gaium. Cf. *Hermann griech. Staatsalterth.* § 99 not. 10.

[9] Est ex oratione M. Antonii Oratoris pro C. Junio Norbano. Videndum tamen, ne hic locus aliter explicandus sit: de quaestura scilicet, qua Norbanus Antonium praetorem sortitus erat.

[10] Quid sibi velit Lydus de mag. I, 50, ignoro. Verba sunt: „*κολλήγιον (ἀντὶ τοῦ σύστημα) ὅπερ τὰς πύλας τῆς πόλεως ᾤκει*

Tanta vero fuit sodalitatis religio, ut publicis etiam legibus sodales prohiberentur, quominus eam laederent. Ita cautum est, ne sodalis in causa publica accusaret sodalem.

Cic. pro Cael. 11, 26 cum Herennius contra Coelium sibi in Lupercis sodalem dixisset: „*fera quaedam*, ait, *sodalitas — germanorum Lupercorum — ante — instituta quam humanitas atque leges: si quidem non modo nomina deferunt inter se sodales, sed etiam commemorant sodalitatem in accusando* [11]."

Quod Cicero ad leges provocat, quae sodales inter se nomina deferre vetarent, confirmatur ea quae adhuc superest repetundarum lege, qua rei sodalis suscipere prohibetur patrocinium adversarii:

v. 9. 10 *qui* — — nomen detulerit — — si is volet sibi patronos in eam rem dari, Praetor — — — *patronos dato, dum* ne quem eorum det sc. d. m. cui is *cuius nomen deferatur gener socer vitricus privignusve sit quive ei sobrinus sit pro*piusve eum ea cognatione attingat quive ei sodalis sit quive in eodem collegio sit [12].

καὶ τὰ τείχη, ὥστε τῆς χρείας καλούσης εὐχερῶς εὑρισκομένους συντρέχειν· οὕτω μὲν ὁ Παῦλος (l. 1 D. de off. praef. vig. I, 15, ubi nunc legitur *familia publica* non *collegium*). *Ὅτι δὲ ἀληθὴς ὁ λόγος ἐστὶ καὶ νῦν τοιούτου τινὸς ἀεὶ* (cod. *απει*) *συμβαίνοντος ἀνὰ τὴν πόλιν οἳ τυχὸν ἐπικαίρως ἐξ αὐτῶν εὑρισκόμενοι βοῶντες τῇ πατρίῳ Ῥωμαίων φωνῇ*: omnes collegiati (cod. omnis colliciatas) *οἷον εἰπεῖν πάντες ἑταῖροι συνδράμετε.* Id video non de collegiis in universum, sed de uno illo incendiis arcendis instituto haec accipienda esse.

[11] Cf. pro Mur. 27, 56 „*accusat Ser. Sulpicius sodalis filii* (L. Pinarii Nattae, qui Murenae privignus erat: Drumann Gesch. Roms IV, 193 not. 51), *cuius ingenio paterni omnes necessarii munitiores esse debebant.*" Id ipsum igitur nisi vetitum tamen invisum erat nomen alicuius deferri ab eo, qui filium eius sodalem haberet, cum propter filium patrem eius patrisque necessarios tueri deberet.

[12] Quaenam collegia sint, quae hic et aliquoties apud Ciceronem (vide supra) ita coniunguntur cum sodalitatibus, ut ab iis tamen distinguantur, minus recte perspexit Klenzius h. l. explicans de colle-

unde recte idem de nomine deferundo obtinuisse dicetur, etsi tacentibus legis reliquiis.

Praeterea in eadem lege scriptum est *iudicem edi non posse, qui ei qui petet sodalis sit* (v. 22), ut idem v. 20 cautum esse de sodali eius unde petetur sponte sequatur.

Haec fuerunt quae praemittenda duxi, antequam explicarem qua ratione ea collegia ad templa applicarentur. Ordiamur hic a loco Ciceronis in Catone maiore [13], conviviorum et rerum sacrarum nexum, in quo haec collegia tota sunt, optime demonstraturo. Narrat Cato semper se esse delectatum epulis et iuvenem et in ipsa etiam senectute. „*Primum*, inquit, *habui semper sodales. Sodalitates autem me quaestore constitutae sunt sacris Idaeis magnae matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus, omnino modice, sed erat quidam fervor aetatis, qua progrediente omnia fiunt indies mitiora.*" Fuerunt qui sodalitatum constitutionem quam Cicero hic commemorat, ita acciperent, quasi antea nullae fuissent, ita Fabrettus [14]. Sed non erit, opinor, qui negabit complura sodalicia dudum ante seculum VI esse constituta — ita sodales Titii a Romulo retinendis Sabinorum sacris lecti dicuntur [15] — neque opus est ad differentiam aliquam inter scriptores confugere. Nihil obstat, quominus verba illa non de prima sodalitatum institutione accipiamus, sed

---

giis magistratuum; non potuit enim quisquam reo esse collega in magistratu, cum nullus magistratus reus ex h. l. fieri potuisse videatur (lex Servil. cap. 3.) Neque de collegiis opificum, quae et ipsa sodalitatibus sacrorum causa institutis opponuntur, haec explicari possunt, cum de honestioribus semper sermo sit. Sane iidem fere collegae illi fuerunt ac sodales, cum postea v. 22 soli sodales nominentur; itaque equidem retulerim ad collegia pontificum, augurum, Xvirum S. F., VIIvirum epulonum, quae sodalitatum nomine rarius appellantur, solemniter vero dicuntur *collegia*. Vide C. Laelii orationis *de collegii* reliquias apud Meyerum or. Rom. fr. p. 97.

[13] C. 13 § 45.

[14] Inscriptt. domest. p. 429 sq.

[15] Tac. Ann. I, 54. II, 95.

de novis collegiis additis propter cultum magnae matris, quam solemni carmine in Urbem receperunt anno p. U. c. quingentesimo quinquagesimo prid. Idus Apr.[16], cum Cato annos natus XXX quaestura fungeretur[17].

Sed etsi minime de prima sodalitatum institutione hoc loco Cicero verba fecit, tamen tenemus luculentum exemplum eius rei, quod novus cultus inter alios ritus etiam suos sodales flagitabat, cui ex ingenti copia huiuscemodi locorum alios quosdam addere ex re videtur.

De templo Mercurii dedicato Id. Maiis a CCLIX:

Liv. II, 27 certamen consulibus inciderat uter dedicaret Mercurii aedem. Senatus a se rem ad populum reiecit: utri eorum dedicatio iussu populi data esset, eum — mercatorum collegium instituere. — —

Fest. epit. v. Maiis idibus mercatorum dies festus est quod eo die Mercurii aedes esset dedicata.

Cf. Ovid. Fast. V, 669. Cic. ad Qu. fr. II, 5 coll. Dirksen *über den Zust. der jurist. Pers. nach röm. R.* (*civil. Abhh. Bd. II.*) p. 23 n. 64.

Imperatorum in deorum numerum relatorum sodales nunquam omittuntur in enumerandis honoribus consecrationem consecutis.

Capitol. Anton. Pius c. 13: meruit et flaminem et circenses et templum et sodales Antoninianos. Cf. Ant. Philos. c. 7.

Spart. Hadr. c. 27. Templum ei pro sepulcro apud Puteolos constituit — et flamines et sodales et multa alia quae ad honorem *quasi* numinis pertinerent.

Capitol. Ant. Philos. c. 15: Tantae sanctitatis fuit Marcus ut (L. Verum) mortuum — Divum appellaverit

---

[16] Liv. XXIX, 14. Postea l. XXXVI, 36 eandem rem praecedente anno factam esse narrat, quod parum differt, quum coss. eo tempore magistratum inirent Id. Mart. Liv. XXVII, 7.

[17] Cic. Cato m. 4, 10. Fischerus (Zeittafeln) qui eum anno DXLV quaestorem facit, falsa lectione deceptus est, quam Pighius iam emendavit. V. Ottonem ad h. l. et ipsum Fischerum ad a. DL.

sacrisque eum plurimis honoraverit, flaminem et Antoninianos sodales et omnes honores qui divis debentur eidem dedicaverit.

Capitol. Pertin. c. 15. Marciani sodales qui D. Marci sacra curabant Helviani sunt dicti propter Helvium Pertinacem. cf. Spart. Sev. c. 7.

Lamprid. Alex. Sev. c. 63: senatus eum in Divos retulit — dati sunt et sodales qui Alexandrini appellati sunt.

Observandum est etiam, non unum solum collegium fuisse unius dei, sed complura, id quod supra vidimus in sodalitatibus magnae matris, videbimus in Augusti. Haec tamen res facillimam explicationem habet; apud veteres enim quot templi tot dii esse credebantur, quod et aliunde notum est [18] et infra ubi de natalibus deorum sermo erit confirmabitur. Rectissime igitur collegia haec templorum potius quam deorum dicuntur in Digestis:

l. 38 § 6 D. de leg. III (verba sunt testamenti cuiusdam): A te, Petroni, peto uti ea duo millia solidorum reddas collegio cuiusdam templi. — Cf. l. 20 § 1 D. de ann. leg. XXXIII, 1.

§ 2.

Quod supra facturos nos recepimus, ut Deum a Romanis cum per flaminem, tum per sodales suos esse cultum demonstraremus, iam videtur perfectum esse. Quod enim iis tantum diis qui novi reciperentur sodales attributos esse ostendimus, non ita intelligendum est, quasi defuissent diis ab origine cultis, quorum sodalitates complures infra commemorabuntur, sed optimum documentum id nobis esse visum moris non in singulis quibusdam sacris sed in tota re sacra Romanorum obtinentis. — Jam cum ratio huius disputationis requirere videretur, ut quid proprium esset sodalium in sacris faciendis explicaretur, consulto tamen rem praetermisimus aut facilem nimis aut diffi-

---

[18] Ulp. XXII, 6.

cillimam futuram. Sodalium enim institutionem eo referendam esse ut hostiae per flaminem in Dei honorem mactatae carnibus simul cum eo vescerentur nemo est quin videat; cui comessationi precationes solemnes, libationes, carmina, tripudia aliaque sacra intercessisse probabile est. Sed non minus perspicuum est earum rerum solemnium alias semper in aliis sacris obtinuisse, ut universe de caerimoniis illis nihil fere amplius proferri possit quam quae prolata sunt. Singularum vero religionum expositionem nemo erit, quin ab hac scriptione alienam esse dicat, ut taceam de harum rerum quae nobis superest notitia admodum exigua. Unius tantum sodalitatis plena et accurata ad nos pervenit, fratrum Arvalium, quorum acta in lapidibus servata doctissime et ingeniosissime exposuit Marinius. Quod si eum adire tibi placebit, non sine fructu cognosces curiosam illam rerum sacrarum et epularum confusionem magis dixerim quam coniunctionem [1]. — Sed tamen ut hanc lacunam quadammodo suppleamus, propositum nobis est investigare qua ratione sodalitates deorum ad gentes pertinuerint, quam rem nemo quod sciam adhuc tractavit, non indignam tamen quae diligentius perlustraretur. Ne is quidem qui singulari doctrina et sollerti acumine rem sacram Romanorum illustravit, *Klausenius* quanquam cultum gentilicium saepe attigit, tamen cum in naturam deorum inquireret magis quam in caerimonias, haec exegit, quae a nobis ita tractabuntur ut convenit profectis a castris ICtorum, ita inquam ut externa magis omnibusque fasta adeamus, penetralia vero ingredi religio sit.

Fest. p. 253 Müll. v. Popularia sacra sunt ut ait Labeo quae omnes cives faciunt nec certis familiis attributa sunt: Fornacalia, Parilia, Laralia, porca praecidanea.

Popularia sacra a publicis differunt, ut actio popularis a causa publica. Popularia sunt, quae vulgo ab omnibus cele-

---

[1] Paucis rem complexus est in praefatione p. XXIII sq.

brantur, uti Compitalibus [2] sacrificatur *ubi viae competunt* [3]; uti Fornacalibus

signatur certa curia quaeque nota:
Stultaque pars populi quae sit sua curia nescit
Sed facit extrema sacra relicta die [4].

Ita etiam Parilibus ipsos pastores oves lustrasse, epulas paravisse Deamque Palen precatos esse notum est [5]. Porca vero praecidanea erat hostia, quam Cereri ante immolabant quam novam messem facerent [6].

Longe aliam quidem interpretationem proposuit Savignyus [7], qui popularia sacra eo nomine tantum a publicis differre auctor est, quod pro populo universo fiant, non pro singulis partibus eius, curiis puta vel gentibus. Sed ut hoc ei demus, sacra pro curiis et gentibus oblata publicis esse adnumeranda (quod infra demum refelletur): qua ratione, quaero, Fornacalia et Laralia, quae pro curiis compitisve facta esse constat, in popularibus sacris collocantur? — Res aliter se habet. Sacra *publica* sunt sacra *pro populo*, [8] opposita sacris pro singulis hominibus communibusve consiliis, *popularia* sacra *per populum* facta, opposita sacris quae familiaribus sacerdotiis attributa sunt. Praeterea haec partitio ad sola publica sacra pertinet; nam popularia sacra cum ab omnibus fiant quodammodo etiam pro populo offeruntur, sacra autem familiis attributa non sunt gentilicia, sed ea, quae populus familiis attribuit.

---

[2] Haec Laralibus significari Scaliger vidit.

[3] Varr. VI, 25.

[4] Ovid. Fast. II, 527.

[5] Ib. IV, 717.

[6] Fest. p. 201. Paul. Diac p. 119 Lind. v. praecidaneam porcam, inprimis Cato de r. r. c. 134. Alii contra ab iis porcam oblatam esse dicunt, qui mortuo iusta non fecissent (quibus porca contracta esset) itidem omnibus annis ante fruges novas fieri coeptas. Paul. Diac. p. 122. Gell. IV, 6. al. apud Lindem. ad Fest. p. 581.

[7] Ztschr. II, p. 385 n. 36. Eum sequitur Dirksen l. c. p. 8.

[8] Cf. Cic. ad. Att. I, 12 fin. 13, 3.

Hanc vocabuli *attribuendi* vim optime intellexit Dirksenius [9]. Hoc igitur dixit Labeo: sacra publica aut a populo ipso facta esse aut a familiis certis, quibus singula essent attributa.

Antequam de hac re exponamus, verbo monendum est, Labeonem neque locutum esse de sacris quae per magistratus fierent quaeque quasi appendiculae imperii aut officii alicuius essent neque de universa rerum sacrarum cura, quae magnis illis collegiis, pontificum, XVvirûm S. F., VIIvirûm epulonum permissa erat, sed de propriis tantum singulorum Deorum sacerdotiis. De iis quid statuendum sit iam videamus, cum addiderimus glossam Servii

> ad Virg. Aen. XI, 768: „*olimque sacerdos*" aut quia vetus sacerdos aut cuius etiam maiores sacerdotes fuissent, quibus apud veteres in sacra quoque succedebatur.

quae de sacris privatis accipienda non est, cum de publico Cybelae sacerdotio Virgilius loquatur; denique exempla aliquot publici sacerdotii genti alicui hereditario iure concessi.

De cultu Solis:

> Paul. Diac. p. 20 Lind. v. Aureliam familiam ex Sabinis oriundam a Sole dictam putant, quod ei publice a populo Romano datus sit locus in quo sacra faceret Soli.

Publicum sacrificium fuisse recte colligitur, cum in agro publico fieret.

De cultu Minervae:

> Serv. ad Aen. II, 166. Palladium cum Diomedes Troianis restituere iussus Aeneae transeunti per Calabriam redditurus esset, ille (Aeneas) velato capite sacrificans cum revertisset [10], Nautes quidam accepit simulacrum. Unde Minervae sacra non Iulia gens habuit sed Nautiorum. — Id. ad Aen. V, 704. Nautiorum familia

---

[9] L. c. p. 9 n. 15 a.

[10] V. ad Aen. III, 407. Aeneam invenit sacrificantem qui — sacrificii ordinem non rupit.

Minervae sacra retinebat, quod etiam Varro docet in libris quos de familiis Troianis scripsit [11].

Nautii igitur Minervae sacerdotes erant publici; pro populo enim rem divinam eos fecisse ipsa Palladii natura docet, quanquam cum id a virginibus Vestalibus servaretur nullique viro aspicere fas esset, quo modo ad Nautios ea sacra pertineant non liquet [12]. Nisi Palladium in aedibus Vestae a Nautiorum simulacro ita distinguas, ut illud Romanum, hoc Albanum fuerit; erat enim Nautiorum gens Albana. Ut enim et Romani et Albani ab Aenea urbem suam conditam ferunt, ita utrique Palladium videntur habuisse a Diomede; unde fortasse explicatur duplex fabula de recepto Palladio, quarum altera Nautem pro Aenea infert, altera (Romana scilicet) Aeneam solum agnoscit [13]. Quod qui probat, ei Romae sacra Minervae Nautiae, quae Albae publica fuerunt, privatorum locum obtinuisse coniicere licet [14]. Sed incerta relinquamus; hoc addimus, Iuliam gentem Apollinis sacra habuisse pro Minervae.

Serv. ad Aen. X, 316. Caesarum familia sacra retinebat Apollinis [15] quae et ipsa publica videntur fuisse.

Hercules denique tum etiam cum a Potitiis et Pinariis colebatur *familiari sacerdotio* [16], publicus Deus erat:

Fest. s. v. Potitium et Pinarium p. 207 Lind. [17]. — Quae familia et posteri eius non defuerunt decumantibus usque ad Ap. Claudium censorem qui L milia

---

[11] Cf. Dion. VI, 69. Hartung l. c. II, 80.

[12] Klausen l. c. p. 698—701.

[13] Dion. I, 69. Klausen l. c. p. 1157. Sane arcana illa religio Palladii Romani a Nautiis aliena erat, unde etiam Festus v. Nautiorum familia p. 178 Lind. simulacrum aeneum Nautiorum commemorat, cum Palladium quid esset omnes ignorarent.

[14] Arnob. III, 38.

[15] Klausen l. c. p. 1102 sq. De Venere Albana Juliis culta idem p. 729.

[16] Liv. IX, 29. cf. *solemne familiae ministerium* Liv. I, 9.

[17] Cf. v. Putitium p. 200. Cic. pro domo 52, 133.

aeris gravis his dedit ut servos publicos edocerent ritum sacrificandi.

Vides sacerdotes illos qui quomodo decumae diis offerri deberent ab ipso Hercule didicissent, omnibus praesto fuisse qui decimas offerrent, i. e. publici sacri ministros fuisse[18]. Non igitur sacrum sed sacerdotium cesserunt reipublicae, quod non obscure in fabulis illis apparet [19].

Luculentum etiam gentiliciorum sacerdotiorum exemplum offerunt Luperci:

Fest. epit. p. 66 Lind. v. Faviani et Quintiliani appellabantur Luperci a Fabio et Quintilio praepositis suis. — Cf. v. Quintiliani p. 210.

Ovid Fast. II, 365 sq.

Romulus et frater pastoralisque iuventus
Solibus et campo corpora nuda dabant — —
— indoluit Fabios potuisse Remumque
Vincere: Quinctilios non potuisse suos.

Verum est quidem Lupercos quod sciamus non esse ex gentibus Fabia et Quinctilia, sed ita solummodo appellari [20]; sed gentes illas antiquitus sacerdotium obtinuisse ideo non minus constat [21]. Ita factum est, ut postea cum dudum collegio illi extra gentem adlegeretur, tamen tertium collegium in honorem Julii Caesaris instituendum ex gente Julia nomen acciperet, quanquam Luperci Juliani ab initio ex aliis gentibus legebantur [22].

De Augustalium sacerdotio infra opportunius dicetur; interim lectores memores esse velim Tacito auctore Juliae

---

[18] Idem colligas ex Dionysii narratione I, 40.

[19] Dirksen igitur (l. c. p. 7.) qui gentilicium sacrum hoc fuisse putat quod gente exstincta ex more ad populum veniret, non solum recedit ab antiqua memoria, sed oblitus est etiam sacra gentilicia simul cum gente interire, quod clare docet Cic. pro domo 13, 34. — Vide ingeniosissimam de hac fabula Hartungii disputationem (II, 29).

[20] Orell. 2253 sq.

[21] Göttling *röm. Staatsverf.* p. 194.

[22] Dio Cass. XLIV, 6. Drum. III, 666.

genti id esse institutum. Jam redeundum est ad verba Labeonis.

Familias ibi gentes appellari perspicuum est, cuius usus negligentioris paullo apud optimos scriptores inde ab Augusti temporibus exempla complura inveniuntur, ita Livium gentis Potitiae (IX, 29) ministerium familiare appellare (I, 7) Festumque de familiis Aemilia, Potitia, Nautia locutum esse supra vidimus [23]. Ita Labeo hoc dixit: omnia sacra publica aut per ipsos cives esse celebrata aut a populo gentibus esse tradita, quae ea hereditario iure curarent.

Quod de omnibus sacerdotiis antiquitus obtinuisse ne verisimile quidem est [24], probari certe non potest, cum instituti huius evanescentia iam et paene sublata vestigia sola teneamus. In universum tamen recte tradidisse Labeonem de diversa Deorum colendorum apud Romanos ratione nihilominus statuendum videtur, ut iam si addideris quae supra ostendimus haec effecerimus:

---

[23] Ita apud ipsum Ciceronem in Pis. 23, 53. *familiae non dicam Calpurniae sed Calventiae dedecus* cf. pro Sex. Roscio 6, 15. Tac. Ann. VI, 51. XI, 25. Hist. II, 48. Serv. ad Aen. I, 67. *gens — et nationem significat et familiam* coll. ad Aen. V, 121. VI, 845. Fest. epit. p. 70 Lind. *Gens Aelia appellatur quae ex multis familiis constat.* Caes. ap. Suet. vit. 6: *a Venere Julii, cuius gentis familia est nostra.* — Errat igitur Savigny (l. c. p. 384 sq.) Livium antiquum morem diligenter custodivisse affirmans. Ipse locus ad quem videtur respexisse aliter explicandus est. Liv. IX, 29: *cum XII familiae ea tempestate Potitiorum essent, puberes ad triginta, omnes intra annum cum stirpe exstinctos.* Contra Festus: *Potiti cum essent ex familia numero XII, omnes interierunt* (cod. *intererant*) *intra diem XXX,* unde scribe apud Livium: *cum XII familiae* (gen. sing.) *ea temp. Potitiorum essent puberes, a. d. XXX omnes, intra annum cum stirpe exstinctos.* Ita scripsit Livius aut certe scribere debuit; cum enim Val. Max. I, 1, 17 iam ita legerit ut nunc legitur, mendum fortasse fuit in eo codice quem Livius secutus est.

[24] Ita collegium Virginum Vestalium etsi Urbi coaevum ex nullo nexu gentilicio, sed ex *ἱεροδουλείᾳ* constitutum esse mihi dubium non est.

I. Dei apud Romanos sacerdotium publicum apud gentem hereditario iure fuisse.

II. Deum apud Romanos cultum esse a collegio sacerdotum.

Utrumque si coniunxeris facillima ratione inde colliges sacra illa collegia ex gentilibus esse constituta et fuisse sacerdotia gentilia sacrorum publicorum. Quod mihi videtur verissimum esse et cum naturali ratione apprime convenire. Ita enim rem animo informo: gentes singulas habuisse sua sacra gentilicia, in quorum communione ipsa illa necessitudo consisteret. Non raro autem evenisse, ut cultum illum alias privatum [25] populus ita reciperet,

---

[25] Savigny in diss. cit. sacra gentilicia inter publica referri iussit, quoniam pro parte populi fierent. Sed adversatur Festi locus „*Publica sacra sunt, quae publico sumtu pro populo fiunt quaeque pro montibus, pagis, curiis, sacellis; at privata, quae pro singulis hominibus, familiis, gentibus fiunt*" neque intelligo, cur priora tantum — his enim nititur tota Savignyi disputatio — ex antiquo fonte desumta dicantur, posteriora ab imperito adiecta. Non verius videtur, quod idem in sacris pro sacellis gentilicia sibi reperisse visus est, quia post curias non posset non gentium mentio fieri atque sacella a Cicerone (harusp. resp. 15) ad eadem sacra referrentur. Sed neque sacella ad haec sola sacra pertinent neque post curias gentes ponerentur necesse erat; eadem ratione in pagis tres tribus antiquissimas latere suspicarere. Accedit quod Livius etiam V, 52 gentilicia sacra publicis opponit. — Tu locum Festi ita interpretare: publica sacra semper fieri pro populo universo, ita tamen ut aut pro ipso populo aut pro singulis partibus quidem, sed simul pro omnibus offerantur. Ita sacra pro curiis referenda sunt v. c. ad Fornacalia, ubi pro *quaque curia* sacrum fit; sacra pro montibus ad Septimontium; montes enim hi VII quasi simulacrum quoddam erant Urbis antiquissimae (Huschke *Vf. des Servius p.* 98 sq. Non obstat Varro. LL. VI, 24: *feriae non populi sed montanorum modo*; populum enim qui fuit olim, repraesentabant montani quanquam pars minima eius populi qui fuit tempore Varronis.) Sacra pro pagis, nisi ad pagos urbanos (Cic. pro dom. 28) referre velis, qui quodammodo simul cum montibus festum diem septimontii habuisse videntur (vide de pago Suburano Fest. v. Septimontio), trahi possunt ad Paganalia ubi sacrificatur pro pagis rusticis omnibus. Sacra pro sacellis obscura sunt; puto in iis latere sacra Argeorum. Nam

ut sacerdotium genti relinqueretur, quae Deum cum pro gente cultu gentilicio, tum pro populo publico coleret. In sodalicium vero, quod inter honores Deo debitos principalem fere locum obtinebat, solos gentiles lectos esse necessario fere sequitur, vel, si ita placet, totam gentem admissam esse ut fructus sacerdotii sui perciperet.

Ea quae dixi, optime confirmabuntur, cum de Augusti consecratione quae accepimus paullo diligentius exposuerimus.

Divinos honores cum Augustus sibi vivo in provinciis fieri permitteret [26], iisdem in Urbe uti noluit, Dionem si audis ne in Italia quidem. Sed aut is erravit aut Augusto haud invito fortasse morem non gerebant municipia; quod probat decretum Pisanum in honorem C. Caesaris, quo a. DCCLVII commemoratur flamen Augustalis et Augusteum [27]; magis etiam calendarium Cumanum sacerdotii Romae et Veneris vivo adhuc Augusto factum, quod singulari doctrina illustravit Olaus Kellermannus [28] nuper litteris immature ereptus. Unde Augusto mortuo questi snnt quidam „*nihil Deorum honoribus relictum, cum et templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet* [29]."

XXX illos sive quotquot fuerunt homines scirpeos populum repraesentavisse verisimile est, templa vero eorum Varro plerumque sacella nominat. — Ut igitur demus Savignyo, quod a Niebuhrio propositum quidem sed tamen neutiquam omnibus probatum est, gentes fuisse certas populi partes: tamen hoc nomine non sequitur sacra eorum fuisse publica. Pro omnibus enim gentibus una die sacrificium oblatum esse non est proditum memoriae.

[26] Suet. Oct. 52. Dio LI, 20. Exempla quaedam leguntur apud Noris. cenot. Pis. (opp. Veron. 1729 fol. T. III.) p. 81. 82. adde Ioseph. B. I. I, 21. Müller Archäol. § 190 not. 1, II. De Pantheo vide Frandsen Agrippa p. 169.

[27] p. 182 Spang.

[28] O. Iahnii spec. epigr. p. 1 sq. Leviora argumenta collegerunt Norisius l. c. p. 86 et Kellermannus. Idem nummis demonstratur. Eckhel II, VI, p. 100. 124.

[29] Tac. Ann. I, 10. Duabus rationibus diversis Augustus per

Romae vero mortuo demum Augusto templum et coelestes religiones decretae sunt [30]. Creabatur igitur et flamen Augustalis et Augustale sodalicium sacerdotio gentilicio. Ita post mortem Germanici qui erat flamen Augustalis [31], senatus decrevit, *ne quis flamen aut augur in locum Germanici nisi gentis Juliae crearetur* [32]. Luculentius aliquanto de sodalibus.

---

oppida cultus est; modo quasi Deus in templo colebatur per flaminem et sodalium collegia, quo pertinent testimonia hucusque laudata, etiam ni fallor, *Aur. Victor* de Caes. 1.: *uti Deo Romae provinciisque omnibus per urbes celeberrimas vivo mortuoque templa, sacerdotes et collegia sacravere*, modo cum Laribus publicis tanquam unus ex iis. Eo refero App. B. C. V. 132 (ad a. DCCXVIII) *αὐτὸν αἱ πόλεις* (Italiae scil.) *τοῖς σφετέροις θεοῖς συνίδρυον*. Schol. Cruq. ad Hor. Sat. II, 3, 281. *Iusserat Augustus in compitis deos penates constitui, ut religiosius colerentur, quibus ex libertinis sacerdotes dati sunt Augustales appellati.* Tac. Ann. I, 73. *cultores Augusti qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur*, quia ad singula compita instauratis quasi illis collegiis compitaliciis, quae infra explicabuntur, Augustus colebatur. Cultum tenuiorum Augustus non videtur prohibuisse, cum templa sibi fieri vetaret. Hoc discrimen non satis observatum plurimos errores genuit. *Augustales* vero ii qui frequentissime memorantur in lapidibus (*Grut.* 179, 3. *Fabrett.* inscr. p. 402—410. *Noris.* cenot. Pis. diss. I, cap. 4. 6. *Oderici* diss. p. 102. *Visconti* opere var. T. I, p. 79 sq. *Orell.* 3958 sq.) ab utro sacerdotio repetendi sint, adhuc quaeritur; verior tamen videtur Orellii opinio (inscr. II, p. 197), qui revocat eos ad libertinos larum publicorum sacerdotes, sed cum nemo quae ad hanc rem lapides suppetunt diligenter excusserit, adhuc, ut dictum est, divinamus.

[30] Tac. Ann. I, 11. Dio LVI, 46. *ἀθανατίσαντες αὐτὸν καὶ θιασώτας οἳ καὶ ἱερὰ — ἀπέδειξαν καὶ αὐτῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἡρῷον — ἐποιήθη καὶ ἄλλοθι πολλαχόθι, τὰ μὲν ἑκόντων δὴ τῶν δήμων τὰ δὲ καὶ ἀκόντων οἰκοδομουμένων.* Erant quidem templa aliis locis iam antea, sed nova multa subinde addebantur.

[31] Grut. 236, 4. Germanico — — *A*uguri flam. Aug.

[32] Tac. Ann. II, 83. Cf. Müller Archäol. p. 222 de patina Aquileiensi, ubi conspicitur Germanicus sacrificans Iovi Cererique, i. e. Augusto et Liviae.

Tac. Ann. I, 54. Idem annus novas caerimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Tatios instituerat: sorte ducti e primoribns civitatis unus et XX: Tiberius Drususque et Claudius [33] et Germanicus adiiciuntur.

Tac. Hist. II, 95 (Augustalium) sacerdotium ut Romulus Tatio regi [34] ita Caesar Tiberius Iuliae genti sacravit. cf. Ann. III, 64 Augustales — — proprium eius (Iuliae) domus sacerdotium.

Iuliae genti, Tacitus ait; factus est igitur gentis suae deus tutelaris et cultus hic gentilicius statim inter publicos relatus. Ita sodales ei cum attribuerentur, extra sortem gentiles gentis Iuliae (patricii scil.) quotquot supererant legebantur, quorum numerus cum sufficere non videretur, alii adiecti sunt ex primoribus civitatis quos sors voluerat. Habemus igitur egregium exemplum, quomodo sodalitates et a nexu gentilicio incipiant et ab eo recedant, adlectis iis qui a gente alieni ad eadem sacra admitterentur. Sed liceat peculiarem locum Iuliae genti in re sacra attributum data occasione illustrare ex monumentis literatis et figuratis.

Ad sacra gentilicia privata referenda sunt, quae leguntur in ara ante paucos annos Bovillis reperta et magnitudine et vetustate insigni [35], in uno latere VEDIOVEI. PATREI. | GENTEILES. IVLIEI., in altero: LEEGE. AL-

---

[33] Suet. Claud. 6.: *Senatus ut ad numerum sodalium Augustalium extra ordinem adiiceretur censuit.* Cf. Marini atti p. 707.

[34] de Tatiis s. Titiis sodalibus vide Hartung Rel. der Röm. I, 311 adde Marinium atti tab. XLVIII, p. 157. 707 Suet. Galba 8. Videtur Tatius cum gente sua Romulo concedente eadem ratione sacra Sabina fecisse, qua Iulia gens Tiberii permissu Augustum publice colebat. Possis etiam T. Tatium et Augustum gentis Iuliae heroem eponymos ducere Titiensium et Augustalium, quod si cui placebit, non multum repugnabo.

[35] Cardinali dipl. p. 46 n. 64. Orell. 1287. Accuratius Klausen Aen. II, 1082 sq., ubi in tabula adiecta exstat depicta.

BANA. DICATA. Gravissime erravit Orellius, decretum decurionum Albanorum interpretatus *legem Albanam*, quae est lex sacrorum faciundorum Albano ritu, gentis Iuliae patrio. Dionysius [36]: Ἰούλῳ, inquit, *ἀντὶ τῆς βασιλείας ἱερά τις ἐξουσία προσετέθη καὶ τιμή, — — ἣν ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ τὸ ἐξ αὐτοῦ γένος ἐκαρποῦτο, Ἰούλιοι κληθέντες ἀπ' ἐκείνου.* Sed postea cum Iulii summa rerum potiti essent, haec quoque sacra quae Bovillis pro gente facta sunt, publicorum numerum obtinuerunt [37]. Nam eo differunt Iuliae gentis sacra publica a reliquis gentiliciis publicis, quod haec a gente pro populo offeruntur, Iulia vero praeterea eo quoque nomine quod pro gente Iulia fiunt, publica sunt, quippe cuius sub auspiciis res Romana sit.

Tac. Ann. II, 41 sacrarium genti Iuliae [38] effigiesque divo Augusto apud Bovillas dicantur. — XV, 23: decretum ut ludicrum circense ut Iuliae genti apud Bovillas ita Claudiae Domitiaeque apud Antium ederetur.

Titulus iste inventus est in theatro Bovillensi, ubi fasti quoque sodalitatis cuiusdam reperti sunt claris nominibus notabiles, nondum tamen quod sciam editi [39].— Bovillae igitur, mediocris vicus Ciceronisque iam tempore desertus, in via Appia proxime Albam undecimo ab Urbe lapide [40] fuit gentis illius, cuius neque splendidior neque clarior ulla exstitit, sedes pristina sacrorumque eius sempiterna. Neque sine causa factum est, ut alterum gentis Iuliae conditorem Nolae mortuum equites Romani susciperent a Bovillis [41].

---

[36] Archaeol. I, 70. cf. Drumann III, 115. Klausen Aen. II, 1071, not. 2145.

[37] Cf. Klausen l. c. p. 657.

[38] Statii silv. V, 1, 240 *aeternae modo qui sacraria genti* (Flaviae scil.) *condidit.* De sacrario vide Serv. ad Aen. XII, 199; l. 9 § 2 D. de div. rer. I, 8.

[39] Klausen l. c. p. 1109.

[40] Vide Müller Roms Campagna II. p. 245 inprimis Klausen Aeneas II, 1106 sq.

[41] Suet. Aug. 100. Gens Iulia quamquam Bovillis oriunda non

Haec igitur religio inter publicas caerimonias relata est. Neque magis *ara gentis Iuliae in Capitolio*, ubi figebantur vetustiores tabulae honestae missionis [42], a publicis sacris videtur fuisse aliena. In lapidibus vero, qui sacra gentis Iuliae commemorant, maximi momenti videtur titulus Orell. 618, in insula Gaulo repertus, ubi templum D. Augusti constitutum esse consentaneum est: *Cereri Iuliae Augustae Divi Augusti* [43], *matri Ti. Caesaris Augusti Lutatia C. f. sacerdos Augustal. M. Livi M. f. Quir*(ina tribu) *Optati flaminis gentis Iuliae Augusti imp. perpet . . . . . uxor cum liberis s . . . . consacravit.* Appellatur M. Livius, necessarius fortasse Liviae, flamen gentis Iuliae, quod aliter explicari non potest ac sacerdotem eum fuisse D. Augusti itidem ut uxor appellatur *sacerdos Augustalis;* qui cum proprie non fuerit nisi gentis suae deus eponymus, id est gens ipsa in Deorum coetu collocata [44], recte dicitur Livius *flamen gentis Iuliae.* — Ceteroquin lapis obscurus; quid enim significat *flamen Augusti imp. perpet.*? Augustum si Octavianum esse putas, *Divus* omitti non debuit neque is post mortem *imperator* appellari; si Tiberium, vivi flamen fuit Livius, quod paucis Impp. accidit [45], neque unquam consecrati. Quod enim dum vivebat saepe sub

---

minus erat Albana; erant enim Bovillenses, cum eo Alba colonos videatur misisse, cives Albani dicunturque in lapide Murat. 1034, 3. *Albani Longani Bovillenses.*

[42] Ap. Cardinal. No. 2. 3. 4. 5.

[43] *Iulia Augusta, Divi Augusti* filia, est uxor eius Livia, quae per testamentum adoptata a marito in gentem Iuliam transiit et post mortem eius *Iulia Augusta* dicta est. Tac. Ann. I 8 14. V, 1. VI, 51. Vell. II, 75. Orell. 615. qua de re accurate egit Eckhel. P. II. T. VI. p. 147. Livia saepe sub nomine Cereris colebatur. *K. O. Müller* Archäol. § 199 not. 7. *Müller u. Oesterley* Denkm. d. a. K. H. V. No. 378. 379.

[44] Cf. Tac. l. c.: sacerdotium Iuliae genti sacravit.

[45] Noris. cenot. Pis. diss. I. cap. 4.

alicuius Dei, Iovis plerumque [46] imagine nomineque repraesentabatur, maximopere distat a divinis honoribus flaminis et sodalicii [47]. Itaque rem ita expedio, ut pro AVGVSTIIMPPERPET scribam AVGVSTIMPERPET, duplici falsa geminatione sublata, quae lapides quoque saepissime deturpavit [48]. Ita efficitur: *flaminis gentis Iuliae August*(alis) *imperpet*(uum) *uxor cum liberis s*(uis) *consacravit;* lacunae enim nullae videntur fuisse. *Flamen Augustalis* ut Lutatia *sacerdos Augustalis* quasi Flaminica. Flamines interdum perpetuos non fuisse docuit Norisius [49], unde passim *flamines perpetui* et in lapp. [50] et in libris [51]. *Imperpetuum* pro *in perpetuum* saepe scriptum esse notum est.

Denique gemma Augustea Parisiensis, omnium quae quidem supersunt maxima [52] exhibet nobis gentem Iuliam, coelestem superne, inferius mortalem. Supra Augustum nondum divum, abest enim corona radiata, equo alato, cuius frena regit Cupido Iuli frater divinus [53], raptum in

---

[46] Ita *Müller u. Oesterley* l. c. No. 355. 378.

[47] Müller Archäol. § 199.

[48] Unum exemplum sufficiat: in edicto Diocletiani de pretiis (Spang. mon. app. p. 7.) *suBBliti brevIIs* pro *subliti brevis* i. e. formulae subscriptae.

[49] Cenot. Pis. p. 90.

[50] e. c. *Lucr. L. f. Campana flam. perp. dom. Aug.* Grut. 101, 3. in titulo Hispano.

[51] l. 2. C. Th. *quemadm. mun. civ.* XII, 5.

[52] Müller u. Oesterley No. 378 cf. Müller *Kunstgesch.* p. 221. Earum figurarum quae ex fabulis non sunt petitae, explicationem similitudo certam reddit; vide *Mongez* Mém. de l'acad. des inscr. T. VIII. p. 370—387.

[53] Qui mihi videtur esse C. Caesar Germanici filius Augusti pronepos, (Suet. Calig. 8), qui raptus est, inquit Suetonius (Calig. 7), *iam puerascens* (quarto fere aetatis anno), *insigni festivitate, cuius effigiem habitu Cupidinis in aede Capitolinae Veneris Livia dedicavit, Augustus in cubiculo suo positam quotiescunque introiret exosculabatur.* Hic puer paucis mensibus ante proavum mortuus, quasi eius

coelum recipiunt Dii heroesque gentilicii: Aeneas habitu Phrygio globum tenens, signum imperii orbis terrarum Iuliae genti promissi; D. Iulius aspectu senili, sceptrum gestam coronamque radiatam, capite velato, Deum patrem referens, ut Augustus deum tutelarem Apollinem iuvenili decore imitatur; Drusus denique Aug. f. scutum sinistra tenens. Inferiori ordine Germanicum e Germania reversum in Syriam profecturum dimittens conspicitur Tiberius [54] in suggestu sedens quasi Iupiter terrarum una cum Livia Cereris forma papaveribusque Abundantiae insigni, cui moestus assidet captus puer ex nobili genere Arsacidarum [55]. Germanico ad Caesarem converso adstant uxor Agrippina galeam capiti imponens et Caligula puer loricatus iam, patrem iterum comitaturus [56]. Drusus minor pone patrem Tiberium conspicuus sinistra tropaeum tenet, quasi et ipse iam vicisset Germanos, cum quibus bellaturus erat in locum consobrini succedens; dextra sublata coelestes Iulios orbemque Aeneae demonstrans exhortari videtur qui adsunt, ut faustum omen finium proferendorum accipiant. Ita is Germanicum Deorum gentilium custodelae tutelaeque commendans ordinem utrumque artificiose coniun-

---

exspectatione paullum moratus in via excipit eum et simul ascendit ad superos.

[54] Factum est anno XVII p. Chr., quo solo post mortem Augusti Tiberius cum Germanico fuit, quem a. XII p. Chr. in Galliam missum cum hoc anno rediisset et a. d. VII Kal. Iun. de Germanis triumphasset, pergere iussit ad res Orientis componendas tanta cum festinatione, ut consulatum a. XVIII absens apud urbem Achaiae Nicopolin iniret. Sequenti anno Antiochiae obiit.

[55] Phraatem filium intelligo, quem pater Phraates cum fratre maiore Vonone Augusto obsides dederat. Vononem Parthi a Tiberio regem petitum tum expulerant, Artabanumque in eius locum elegerant, quem ut Germanicus aut coerceret, aut alium fortasse Phraatem pro eo regem faceret, Tiberius videtur imperasse. Puer fuit fortasse in contubernio Liviae.

[56] Suet. Calig. 8. 10.

git. Utrimque Musae familiam claudunt Clio et Polyhymnia, rebus gestis enarrandis multisque carminibus pangendis intentae. Infimo loco collocati sunt Germani Parthique captivi, illi Germanici virtutem experti, hi mox experturi. Quae gemma quamvis non exhibeat sacerdotium Iuliorum Diis Iuliis oblatum, quod placuit quibusdam, tamen ipsam gentem Iuliam repraesentat consecratam. Idem igitur inde apparet, quod arguunt sacrarium gentilicium publicum et flamen genti attributus, nempe Iuliam gentem hoc praecipuum habuisse, ut publico ritu ipsa coleretur, id quod in enarranda sacrorum publicorum cum gentibus coniunctione omittendum non erat. Iam ad Festum revertemur.

Id quidem Labeo erravit, quod cultum gentilicium a populo gentibus esse attributum dixit, cum e contrario populus a gente eum reciperet. Sed haec solemnis fere rerum inversio auctoritatem eius minime infirmat. Quod si denique quaerimus, num sacrorum privatorum communione coniuncti [57] itidem appellati sint *sodales*, ut ii qui publicis epulis simul intererant, etsi certa argumenta deficiunt, tamen non video, cur haec sacrorum communio publica illa minus sancta habita sit et necessitudinem minus arctam paraverit. Praeterea si eos tantum gentiles, qui publicis sacris coniuncti essent, sodales dictos putas, complures gentes sodalitates non fuisse statuendum tibi est. Sodales vero interdum ita ponuntur, ut omnes qui gentem habeant complecti videantur. Repetas velim locos supra allatos, in quibus sodales ita inter necessarios recensentur, ut gentilium nulla mentio fiat, quamquam gentilitatem religiose observatam esse a veteribus constat. Inprimis vero ad nostram rem facit, quod frequenter cum cognatis et affinibus componuntur, ubi exspectaveris gentiles; ita in lege Servilia. — Tota res, ut concludam aliquando, ita explicanda est. Agnati et gentiles ad ius pertinent et conspicitur eorum coniunctio in hereditatibus et tutelis; cognatio

---

[57] De sacris privatis gentiliciis vide *Beier* ad Cic. de off. I, 17, 55.

vero et sodalitas res facti sunt neque iura ex iis pendent nisi secundaria quadam ratione. Ut autem agnati omnes cognati etiam sunt, ita gentiles omnes etiam sodales; multi tamen cognati sodalesve sunt, qui agnationis et gentilitatis iure carent, sed solo sanguine solave sacrorum communione ad familiam gentemve accedunt.

§ 3.

Quod si unquam Graecorum institutorum comparatio non solum iucunda sed utilis etiam et quodammodo necessaria est, certe hoc usu venit in disputatione de collegiis sacris; nam et rerum ratio naturalis (solent enim apud populos originis communis res sacrae eadem fere forma conservari) et Gaii nostri auctoritas ad Graecas institutiones nos ablegat. Qua de re cum nuper vir doctissimus Meyerus in disputatione sua *de gentilitate Attica* [1] peculiari commentario ita disputarit, ut totam rem confectam et absolutam nobis tradiderit, quae inde ad comparationem cum rebus Romanis instituendam facere videbantur, paucis complexus hoc loco collocare optimum factu duxi, non veritus invidiam, quae opibus alienis utentem solet comitari.

Praeter communem omnium gentium religionem quae pertinebat ad cultum Apollinis πατρῴου et Iovis ἑρκείου gentes Atticae suo quaeque heroi sacra peculiaria faciebant veluti Eteobutadae Butae. Non paucis autem gentibus suae quaedam propriae religiones erant veluti Eteobutadis Minervae Poliadis et Neptuni Erichthonii. Quorum sacrorum quae privatos gentis cancellos egressa publica auctoritate probabantur, publica fiebant totius civitatis, ut eorum aditus quidem civibus omnibus pateret, rem autem divinam faceret vel ministeria quaedam sacra procuraret unus et alter ex eius gentis gentilibus, cui civitas eas religiones

[1] Hal. 1834. 4. § XV. p. 29 sq.

acceptas referebat. Sacra Atheniensium publica maximam partem ita orta esse videntur, ut aut ab gentibus quibusdam in publicum aut ab devictis civitatibus et in dicionem potestatemque receptis in Urbem derivarentur, veluti Eleusine occupata Eleusinia quae etiam ipsa domi suae a gentibus quibusdam procurata erant. — Ne hic quidem mos alienus est a sacris Romanorum. Arnobius [2] „*Cincius*, inquit, *numina peregrina novitate ex ipsa appellata pronunciat: nam solere Romanos religiones urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare ac ne aliquis Deorum praeteriretur — uno pariter nomine cunctos Novensiles appellari.*" Gentes quae in captis urbibus publice sacra curaverant, post deditionem privatim eosdem Deos retinebant, unde non parum confirmatur Italorum consuetudo attribuendi gentibus Deos publicos. Quos Deos extraneos in civitatem adsciscere cum placuit, gentes quoque extraneas, quarum ea sacra erant, Romae ea procurasse ambigi non potest, etsi exempla fortasse deficiunt. Nam quae supra de Nautiis diximus quaeque quis proponat de Iulia gente ex Dion. I, 70, non nimis certa sunt; incertiora etiam, quae de Antistiis olim Gabinorum sacrorum antistitibus [3], de Digitiis antiquis pontificibus Praenestinis [4] docuit Klausen. Quod porro ad originem sacrorum publicorum ex gentiliciis attinet, Graeci et Romani eadem ratione fecisse apparet. Quod attinet ad rem divinam faciendam apud Graecos, flamines ex gente prodebantur. Plurima sacerdotia sorte, paucissima suffragiis vel coniuncta cum suffragiis sorte ad aliquem eorum gentilium deferebantur, quorum esset sacerdotium; pauca hereditatis lege ad filium natu maximum perveniebant. Nos haec sacra publica hereditaria supra apud Servium inve-

---

[2] adv. gent. III, 38.

[3] Aen. II, 730.

[4] Aen. II, 915.

nimus. Gentiles vero, quorum e numero flamen constituebatur, et ipsos a sacris epulis feriisque non alienos fuisse cum per se verisimile est, tum ideo probabile, quod sacerdotia illa pleraque annua, aliquot etiam menstrua fuerunt. Simili plane ratione fratres Arvales ex suo numero quotannis unum legebant flaminem a magistro collegii diversum.

Quibus rebus perpensis apud Graecos ut apud Romanos in sacris gentiliciis publicis gentem et ex se legisse qui rem divinam facerent et ipsam sacri sodalicii loco fuisse constat.

Accedit quod in sacris privatis gentiliciis sodalitates apud Graecos obtinuerunt. Loquor de orgeonibus [5], quorum natura etsi satis obscura est, tamen videntur consistere in consociationibus rerum sacrarum et epulorum causa institutis ita, ut ὀργεῶνες modo pro gentilibus ponantur [6], modo genus aliquod gentilium significent [7], modo denique gentilibus opponantur [8]. Quod ita explicandum esse Meyerus arbitratur, ut ὀργεῶνες proprie dicantur gentiles ut coniuncti sacris communibus gentiliciis, deinde adlecti in gentem sacrorum communicatione, sed sanguine non coniuncti, denique collegiati omnes sacrorum collegiorum. Hic agnoscimus eundem usum loquendi, quem apud Romanos, nisi quod ὀργεῶνες proprie, quantum video, ad privatum cultum pertinent, sodales vero ad publicam religionem.

Verbum mihi addere liceat de homotaphis. Gentilium necessitudo ut in sacrorum communione ita cernebatur in communibus sepulcris.

---

[5] Meyer l. c. p. 24—27.

[6] Apud Isaeum Meyer p. 26.

[7] Apud Philochorum (opp. ὁμογάλακτες) Meyer p. 24.

[8] Meyer l. c. p. 27 n. 213.

Cic. de legg. II, 22, 55: Tanta religio est sepulcrorum ut extra sacra et gentem [9] inferri fas negent esse; idque apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popilia iudicavit.

Cic. de off. I, 17, 55: Magnum est eadem habere monumenta maiorum, iisdem uti sacris, sepulcra habere communia.

De monumentis gentilibus s. gentiliciis v. Kirchmann de funer. III, 13 p. 419 [10]; conferas etiam notissimam formulam titulorum sepulcralium *ne de nomine meo exeat* [11], cum definitione legali: *gentiles sunt qui inter se eodem nomine sunt* [12].

Possis cogitare ut communicatione sacrorum sodalitas ex gente exsistat, ita monumento communicando cum extraneis aliud genus collegiorum, homotaphorum scilicet, esse oriundam. Sane amicis in sepulcro locum dare moris erat apud Romanos; quod de Ennio in Scipionum sepulcro constituto Cicero tradit [13] multique praeterea lapides comprobant. Quaerendum tamen, an hoc beneficio vivorum etiam sodalitas et quasi collegium constitutum sit; quod v. c. dicendum esset, si homotaphos illos convenisse statis diebus ad sacra Diis Manibus facienda aliaque eiusmodi constaret. Quanquam autem apud Romanos saepissime

---

[9] Notandum hoc. Fortasse *sacra* et *gens* sese invicem explicant; malim tamen sacra referre ad extraneos, admissos quidem ad sacra gentilicia, non proprie tamen gentiles dicendos.

[10] Inde etiam explicari potest in sepulcro Scipionum clarissimo alios etiam Cornelios reperiri.

[11] Brisson. de form. VIII, § 186. Marini iscr. Alb. p. 66.

[12] Cic. Top. 6, 29. De sepulcris gentiliciis Graecorum v. Meyerum l. c. p. 33.

[13] Pro Arch. 9, 22 et optime ad h. l. Schol. Bob. p. 358. „*Q. Ennium superior Africanus — communicato sepulcri honore dicitur in maiorum suorum numerum redegisse.*“

collegiorum communia sepulcra inveniuntur [14], haec tamen eiusmodi sunt, ut ad gentes neutiquam pertineant. Contra Atticorum ὁμοτάφους, qui in Solonis lege in iis collegiis collocantur, quorum leges confirmantur, si de iis rebus agunt, propter quas constituta sunt, non sine quadam specie veri huc trahere possis.

CAP. II.

DE COLLEGIIS OPIFICUM.

§ 4.

Solebant maiores nostri, cum de collegiis agendum esset, decepti eo, quem ipsi videbant, rerum statu maximam eius disputationis partem collocare in collegiis opificum, ad quorum formam reliqua conformarent [1]. Tum qui primus post Niebuhrium ad hanc rem tractandam accessit Dirksenius [2], inverso ordine collegia opificum in imitationem sacrorum instituta facit, quae scilicet Urbe longe antiquiora a Tuscis derivata essent [3]. Sed cur, quaero,

---

[14] v. cap. V.

[1] Libros citare supervacaneum est; habes aliquot apud Odericium dissertt. p. 62 not.

[2] l. c. p. 8.

[3] Ita factum est ut collegia quoque solemnem decursum per tres

unum genus collegiorum ex altero repetendum est? cur utrumque sua propria origine carebit? quo facto necessario paene alterutri vis inferenda est. Mihi longe alia ratione similitudo, quae intercedit inter diversa collegiorum genera, casui tribuenda esse videtur, cum principaliter ea nihil fere haberent commune. Ceterum de collegiis opificum brevissime agemus, cum fabulis somniisque indulgere non vacet.

Fabulosa antiquitas collegiorum institutionem refert ad Numam, fortasse etiam ad Servium Tullium ordinaria repetitione. Flor. I, 6: a „Servio Tullio populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis [4] atque collegiis distributus summaque regis sollertia ita est ordinata res publica, ut omnia patrimonii dignitatis aetatis artium officiorumque discrimina in tabulas referrentur [5]." Plin. XXXIV, 1 (vetustas) „aequalem Urbi auctoritatem" (aeris) „declarat, a rege Numa collegio tertio aerariorum fabrum instituto." Plin. XXXV, 12. „Numa rex septimum collegium figulorum instituit." Plutarchus (Num. 17) cum Sabini et Romani inter se dissiderent, Numam eos coniunxisse ait *κατὰ τέχνας διανομῇ τοῦ πλήθους*; ut enim generum contraria studia tolleret, *ἔγνω κατατεμεῖν τομὰς πλείονας τὸ σύμπα πλῆθος* — — *ἦν δὲ ἡ διανομὴ κατὰ τὰς τέχνας, αὐλητῶν, χρυσοχόων, τεκτόνων, βαφέων, σκυτοτόμων, σκυτοδεψῶν, χαλκέων, κεραμέων· τὰς δὲ λοιπὰς τέχνας εἰς ταὐτὸ συναγαγὼν ἓν αὐτῶν ἐκ πασῶν ἀπέδειξε σύστημα.* — Haec si expendimus,

---

populos sive tribus adimplerent. Vulgo enim eorum origo inde a Gaio repetitur a Graecis; Heineccius deinde ridiculis argumentis ea vindicat Sabinis. Tertius venit Dirksenius, ne Etrusci suo iure defraudarentur!

[4] *Centuriis* cj. Huschke S. Tull. p. 149 n. 62. Apud seriores tamen non raro *curia* pro collegio ponitur. cf. etiam Liv. 2, 28.

[5] Si *collegia* haec referes ad artes militares in centuriis exercitus Serviani obvias, non repugno, quoniam differentia de auctore collegiorum ea re tollitur.

videmus Plutarchum (fortasse etiam Florum) totum populum, non opifices tantum in IX classes distribuere, quod etsi absurdum est, notandum tamen, cum inde nonum collegium ortum esse videatur. Cum enim Plutarchus hanc divisionem totius rei publicae esse opinaretur, octo vero tantum collegia eaque certa apud auctores inveniret, ut sententiam suam aliquatenus firmaret, adiecit nono loco generale omnium artium collegium quod ex sententia sua contineret agricolas reliquosque cives. Haec explicatio cui non placebit, ad collegium magnum (Larum et imaginum domus August.) certe cum Heineccio confugere non potest[6].

Collegia Numae conventus et sacra communia habuisse Plutarchus l. c. tradit: *κοινωνίας δὲ καὶ συνόδους καὶ θεῶν τιμὰς ἀποδοὺς ἑκάστῳ γένει πρεπούσας*; quem locum in rebus publicis tenuerint, ab ipso certe non edocemur neque aliunde res clare apparet. Dirksen ait: „*Der römische Staat vergönnte ursprünglich lediglich den Gewerben, die den Bedürfnissen des Kriegs und des Gottesdienstes zunächst fröhnten, seinen unmittelbaren Schutz und eine selbstständige Communalverfassung.*" Cogitavit de opificibus in exercitum Servianum receptis, quos solos rem publicam habuisse inde minime sequitur, quod suffragium soli habebant. Mihi non dubium est octo illa collegia eodem fere iure fuisse, ut a populo confirmata sibi ipsa leges quas vellent ferrent. Sed primum paucis videndum est de loco quem opifices in comitiis centuriatis obtinebant [7].

Inter classes primam et secundam interiectae erant centuria fabrum tignariorum et centuria fabrum aerariorum sive, ut Dionysium (VII, 59) sequamur: *δύο λόχοι τεκτόνων καὶ χαλκοτύπων καὶ ὅσοι ἄλλοι πολεμικῶν ἔργων ἦσαν χειροτέχναι*, unde factum est, ut modo primae (Liv.), modo

---

[6] Dirksen l. c. p. 21. Pertinet enim ad tempus Imperatorum.

[7] Locos quos cito omnes norunt: Liv. I, 43. Dion. IV, 17. VII, 59. Cic. de rep. II, 22. Sequor praecipue Huschkium egregie quae diversa traduntur conciliantem (*Verf. des S. Tull.* p. 148.)

secundae classi adiicerentur (Dion.), modo denique ab optimis auctoribus fabri tignarii primae (Cicer.) itaque aerarii secundae attribuerentur; factum etiam, ut centuriae fabrum in *seniores iunioresque* dispertirentur; cum enim fabri non separatim inter utramque classem sed cum classibus vocandi essent (molestum enim videbatur duabus centuriis tantum tribuere), constitutum est ut prior centuria cum senioribus primae classis, altera cum iunioribus secundae vocaretur [8]. Unde Dionys. (IV, 17): ὁ μὲν τοῖς πρεσβυτέροις ὁ δὲ τοῖς νεωτέροις ἀκολουθῶν λόχος. — Eadem plane ratione statuendum est de duabus centuriis *liticinum* (Cic.; *tubicinum* Liv.) *cornicinum* sive secundum Dionysium (IV, 17): σαλπιστῶν δὲ καὶ βυκανιστῶν καὶ τῶν ἄλλοις τισὶν ὀργάνοις ἐπισημαινόντων τὰ παρακλητικὰ τοῦ πολέμου, quas Dionysius quartae, Livius quintae classi tribuit et ille itidem in seniores iunioresque dispertitur.

Haec si componimus cum collegiis opificum a Numa rege institutis, centuriae opificum cum collegiis minime conveniunt; haec enim ad omnes operas pertinent, illae ad eas tantum quae usibus bellicis inservirent. Nam fabri tignarii et ferrarii etsi duo collegia etiam constituunt [9], liticinum et cornicinum duae centuriae plane recedunt a collegio αὐλητῶν, quorum, si tibicinum nomine omnes qui musicis instrumentis operam darent continebantur, genera ordinesve erant; sin vero, quod malim, αὐληταὶ Plutarchi iidem sunt ac *collegium tibicinum et fidicinum Romanorum qui sacris publicis praesto sunt* [10], liticines et cornicines a tibicinum collegio plane separandi sunt. Cui opinioni favet *collegium liticinum cornicinum* in lapide [11] obvium.

---

[8] Iuniores enim ante seniores suffragia ferre solebant, quod et militaris ratio et multarum praerogativarum exempla docent.

[9] Tamen cum in centuriis non essent nisi πολεμικῶν ἔργων χειροτέχναι, multi esse potuerunt in collegiis qui centuriati non erant.

[10] Orell. 1803. 2448. Grut. 269, 2. Heineccius de coll. c. I. § V.

[11] Orell. 4105.

De operariis igitur in Servianum exercitum relatis omnino abeundum est, si quaerimus de loco collegiis opificum in rebus publicis apud Romanos concesso. Sed id ipsum quaeritur, an quaerere liceat; est enim altissimum de hac re apud auctores silentium. Haec fere habui quae de opificum collegiis dicerem.

Tribus initio solos rusticos complectebantur; ne urbanis quidem exceptis. Initio enim singulis Urbis domibus heredia singula adiecta fuisse consentaneum est, ut aedificia urbana non essent nisi agrestium villae. Tribubus constitutis placuit, ut etiam plebs operaria atque, cum fundi aut a dominis ipsis aut a servis clientibusve colerentur, solis operis mercenariis destinata, suas partes suamque constitutionem haberet. Ex iis igitur artibus, quae tum in usu erant neque a familia exercebantur, octo collegia constituta sunt cautumque est, ne *ordo collegiorum*, quem cum *ordine tribuum* recte compones, mutaretur neve nova opificia reciperentur. Ita *fabri aerarii* tertium, *figuli* septimum collegium habebant; reliqua sex erant collegia tibicinum, aurificum, fabrorum tignariorum, tinctorum, sutorum, fullonum. Certe hae artes eae sunt, quae primum a certis generibus hominum exercentur; pistores usque ad Persicum bellum annis ab U. c. super DLXXX Romae non fuisse Plinius refert [12]. Sed collegio etiam pistorum constituto, quod saepissime memoratur, tamen non auctus est numerus collegiorum in ordinem receptorum. Ne tamen putes nova collegia minus licita fuisse, privilegia tantummodo antiquis illis permissa, quae maxime in honoribus constitisse exemplo tibicinum in aede Iovis epulantium [13] docemur, recentioribus videntur denegata. In summa non multum interfuisse puto inter collegia Numae eaque quae postea addita sunt; sed scriptorum testimonia, ut dixi, plane

---

[12] H. N. L. XVIII. c. 11.

[13] Liv. IX, 30 al. Dirksen l. c. p. 20 n. 56.

deficiunt; quod facit ut hic de collegiis opificum agere desinamus, monito tamen lectore non pauca quae infra cap. V. de collegiis sub Impp. dicentur ad ea quoque pertinere.

CAPUT III.

DE COLLEGIIS SODALICIIS.

§ 5.

Ventum est ad corpora civilium turbarum causa instituta sive sodalicia, quo nomine ad id genus collegiorum significandum utemur[1]. Quae etsi semper quodammodo in

---

[1] *Sodalicium* s. *collegium sodalicium* (adiective usurpato hoc vocabulo, ut v. gentilicii al.) proprie dicitur collegium ad turbas in civitate movendas constitutum. Illud verbum ita in usu fuisse notissimum est ex lege Licinia de sodaliciis; sodalium etiam nomen criminosum esse Cicero dicit (pro Planc. 19, 46), quanquam paullo ante locutus de consensione, quae honeste magis quam vere sodalitas nominaretur (c. 15 § 37.) Collegium sodalicium legitur in Digestis l. 1. pr. D. h. t. XLVII, 22: *mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum ne patiantur esse collegia sodalicia* (ἑταιρικὰ συστήματα Basil.). Fuerunt qui *collegia* expungerent, (Savigny Syst. II, 255 not k.) sed male; vide lapidem apud Orell. 4947 *schola — consacrata Silvano et collegio eius sodalic*(io), unde eam locutionem non semper ad crimen pertinere intelliges cf. Orell. 2402. 2404. Convivium etiam dicitur *sodalicium* ad Herenn. IV, 51 init. coll. Catull. 98. *fraternum sodalicium.*

usu esse debuerunt, latissime tamen serpebant plurimumque poterant ultimis temporibus liberae rei publicae. Praemittendus tamen adhuc videtur de iure coeundi legumque sibi ferendarum apud antiquos locus generalis, qui quanquam proprie in principio totius disputationis collocandus videbatur, non temere tamen a nobis huc reiectus est, ut fundamento demum aliquo posito priscorum collegiorum ius explicaremus; quo iam carere non possumus ad universam sodaliciorum rationem recte percipiendam.

Duobus istis collegiorum antiquitus institutorum generibus, sacrorum gentiliciorum et opificum minime tota collegiorum causa continetur; neque ita res absolvi potest, ut certis quibusdam aliis generibus additis ad plenam et perfectam collegiorum notitiam perveniamus. Ius coeundi fuit antiquis temporibus omnibus concessum, ut tot collegiorum genera fuisse statuendum sit, quot causas licitas animo comprehendas, id quod iam est comprobandum.

Primum nulla lex invenitur qua ius coeundi sublatum sit; quae res etsi nihil accederet (accedunt autem alia et gravissima documenta) satis sufficeret. Sunt quidem [2] qui allegant legem ex XII tabb.: *ne quis in urbe coetus nocturnos agitet*, legemque Gabiniam: *qui conciones* (al. *coitiones*) *ullas clandestinas in Urbe conflaverit, more maiorum capitali supplicio multetur* [3]. Ut tamen turbae

---

[2] v. c. Trekell. ad Brisson. selecta opp. p. 23 not. d.

[3] Utraque lex si unius Porcii Latronis rhetoris (decl. in Catil. c. 19) fide niteretur, admodum suspecta esset (etsi Dirksen Zwölftafeln tab. VIII. fr. 26 priorem recepit). Sed Livius (XXXIX, 15) legem Gabiniam confirmat. Verba eius sunt fere: „*maiores vestri ne vos quidem (nisi ad comitia centuriata aut tributa aut ad concionem a magistratu convocatam) forte temere coire voluerunt et ubicunque multitudo esset, ibi et legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse.*" Ideo nemo privatus concionem convocare potuit, nisi a magistratu daretur. — De coetibus nocturnis vide etiam Liv. II, 28. — Dirksenius in add. p. 746 ad hanc legem XII tabb. refert verba schol.

nocturnae concionesque totius populi a privatis vocatae maxime vetitae essent, ideo collegia nullo modo impediebantur coire. — Confirmatur generale coeundi ius etiam legibus iis, quae certa collegiorum genera tollebant; ita anno U. c. DLXVIII cultoribus Bacchi non solum Bacchanalia habere interdictum est, sed etiam quaestio capitalis de clandestinis coniurationibus decreta [4]; qua in re distinguendae videntur coitiones omnium qui Bacchum colebant a singulis collegiis in Bacchi honorem institutis et ad certum Bacchanal pertinentibus. Contra haec inprimis SCtum quod hodie exstat factum est [5]. Denique Cicero in Corneliana [6]: „*Quid ego nunc*, inquit, *tibi argumentis respondeam posse fieri ut alius aliquis Cornelius sit qui habeat Philerotem? [Quasi ignora]res* [7] *vulgare nomen esse Philerotis, Cornelios vero ita multos ut iam etiam collegium constitutum sit*," et ibi Asconius: „*Frequenter tum etiam coetus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant; propter quod postea collegia SCto et pluribus legibus sunt sublata praeter pauca atque certa.*" Id est ante SCtum de quo infra dicendum erit collegia ea quoque quae nulla publica auctoritate uterentur [8] non minus licita fuisse et ius coeundi ad id tempus nullis finibus fuisse circumscriptum. — Itaque satis habuimus collegiorum liberae rei publicae genera quaedam indicare, quae nobis speciali consideratione digna viderentur; aliis omissis, quae

---

Iuv. II, 3 *sacra Bacchanalia ex iis condemnata sunt;* recepta coniectura Pithoei *ex XII* sane audaci. Legerim duplici geminatione: *exxiisc* (i. e. *ex XII S. C.*) *condemnata sunt*, sive cum ed. noviss.*ex S. C.*

[4] Liv. XXXIX, 8—18.

[5] Cf. v. 11 *neve pecuniam quisquam eorum comoinem (h)abuise velet* coll. Liv. XXXIX. 18 in f.

[6] ap. Ascon. p. 74 Or.

[7] Ita scribendum. Cf. Seneca controv. L. III praef.: „*res dicebat omnium sordidissimas — — philerotem, spongias.*"

[8] Nam saepe confirmabantur a populo. Liv. II. 27. V, 50 al.

in rebus sacris inprimis interdum commemorantur. Ita collegia fuerunt non epulorum causa sed ad ludos faciendos constituta, ut in SCto: *ludi Capitolini fierent quod Iupiter O. M. suam sedem — tutatus esset collegiumque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex iis qui in Capitolio atque arce habitarent* [9]. Eiusdem naturae sunt collegia compitalicia, quae infra in lege Clodia diligentius examinabuntur.

De iure coeundi satis dictum est; videamus quid licuerit ita consociatis quamque potestatem leges iis permiserint.

Sodalibus, ait Gaius [10], *potestatem facit lex* (*XII tabularum*) *pactionem quam velint sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant.* Quinam hic dicantur sodales, quaeritur. Cum postea quibus verborum proprietas curae est, sodales ad sacras consociationes tantum referant, eundem usum hic etiam locum habere dixeris. Sed obstat Gaii interpretatio: *sodales sunt qui eiusdem collegii sunt quam Graeci* ἑταιρίαν *vocant* [11] et comparatio legis Solonis ab eodem instituta; ibi enim pagi, σύσσιτοι, ὁμόταφοι, θιασῶται cum iis qui ἐπὶ λείαν ἢ εἰς ἐμπορίαν proficiscuntur eodem iure sunt. Ut igitur de interpretatione verbi a XII tabb. adhibiti non constet, Gaii verba ad omnia collegia pertinere certum est neque ulla ratio reddi videtur posse, cur collegia opificum legum ferendarum iure caruerint sacris sodalitatibus concesso. Ita postea quoque cum collegia nisi publice confirmata licita non essent, licitis hoc ius plene conservatum esse dubium non est, quod Basilicῶν

---

[9] Liv. V, 50. cf. c. 52. Cic. ad Qu. fr. II, 5.

[10] l. 4. D. de coll. cf. Dirksen Zwölftaf. VIII, 27.

[11] Dio Cass. XXXVIII, 13 τὰ ἑταιρικὰ κολλήγια ἐπιχωρίως καλούμενα. Recentiores Graeci *collegium* vertunt σύστημα; ita Basilica et Lydus de mag. I, 50. Cf. supra p. 32 not. 1. *collegia sodalicia*= ἑταιρικὰ συστήματα Bas. *Collegium, corpus, universitatem* docte, ut solet, comparavit Savigny Syst. II, 260 sq.

auctores in hoc loco vertendo ita expresserunt: ταῖς θεμιταῖς ἑταιρείαις θεμιτὰ (i. e. quae publicam legem non corrumpant) συμφωνεῖν ἔξεστιν [12]. Recte igitur in legibus collegiorum superstitibus adhuc ius esse dicitur quod *placuit universis* [13].

Sane collegia igitur latissime patuerunt, cum omnes ad omnia coire possent et legem quam vellent sibi ferre, modo publica lex non obstaret. Quod adiicere ne necessarium quidem erat; est enim summa regula iuris *ius publicum pactis privatorum mutari non posse* [14]. Quae etsi recte dicuntur, tamen cum temperamento aliquo accipienda sunt, quod iam proponam.

Hoc loco paucis monendum est, quantis difficultatibus Romani ius per alium acquirendi implicaverint. Gaius [15] *olim*, inquit, *q[uo tempore erant leg]is actiones, in usu (fuit) alter[ius] nomine agere non licere [nisi] pro popu[lo et libertat]is [causa]*. Corpora et omnino universitates exceptas non esse constat [16]. Hic iudiciorum ordo mansit usque ad legem Aebutiam, Cicerone quidem antiquiorem, sed aliquanto post Cviros institutos latam, quod VIto demum seculo factum est [17]. Quo sublato cum res ad formulas pervenisset, nihilo magis corpora ad agendum admittebantur; nam cognitorem dare, quod initio licuit tantum maioribus LX annis aut morbo (sontico) impeditis [18], postea, id est tempore Ciceronis [19], omnibus, cum esset

---

[12] L. LX tit. 32 c. 4. (T. VII, p. 540 Fabrot.)

[13] in legibus collegii Dianae et Antinoi et coll. Aesculapii et Hygiae infra citandis.

[14] l. 38 D. de pact. II, 14 et saepius.

[15] IV, 82 Lachm.

[16] Zimmern Rechtsgesch. III, p. 464.

[17] Huschke in Richters krit. Jahrbb. 1839 p. 480 plenius quam in eiusdem libro Verf. des Serv. p. 605 sq. Cf. Zimmern Rechtsg. III, § 35 not. 1.

[18] ad Herenn. II, 13, 20.

[19] pro Rosc. Com. 18 init. „(petere) alteri nemo potest nisi qui cognitor est factus." Zimmern l. c. p. 468 haec perperam intellexit.

solemne negotium civile, legis actio sensu latiori, a domino litis praesente adversario peragenda, ab ea re universitas sua natura aliena erat [20]. Procuratorum vero, qui saepe et ipsi a Cicerone memorantur, longe alia ratio est neque ii alteri petunt, sed sibi; nam personam domini non repraesentant. Cum autem quivis etsi alienissimus pro me solvere possit, litis vero contestatio pro solutione sit, non prohibetur procurator ad reum defendendum accedere, si actor consentit [21], et iudicio accepto reum liberat [22]. Cum e contrario nemo meo nomine exigere possit neque procurator neque alius, procurator cum agit, non deducit in iudicium obligationem meam, ut mihi res integra sit; itaque cavebit me ratum habiturum, qua re debitor meus tutus est [23]. Ita eo perventum est ut quod iuris ratio negabat effectu obtineretur: potuit enim alius pro me et solvere et exigere. Nam qui meo nomine iudicium acceperat, mandati actione vel negotiorum gestorum a me potuit repetere; qui vero quod mihi debebat alii solverat, si se in iudicium vocarem, cautione de rato sibi prospexerat, ne bis idem daret. Sed haec ad corpora non extenduntur; universitas enim cum in iure stare non posset, mandati conveniri non potuit. Neque debitor collegii iudicium accepisset, quod creditor principalis contra debitorem instituere non potuit. Quibus omnibus expensis constat corporibus omnibus personam standi in iudicio secundum iuris Romani principia plane defuisse, exceptis scilicet privilegiis, vel, quod idem est, ea omnino personam non habuisse. Persona enim esse non potest sine commercio, id est acquirendi obligandique potestate; quae inanis est sublata vindicatione et condictione [24].

---

[20] Zimmern l. c. p. 469.

[21] Consentire eum necesse erat, si defensor iudicatum solvi satisdabat.

[22] Keller Litiscontest. p. 350 sq.

[23] Hoc Gaii tempore ita obtinuit Keller l. c. p. 304 sq.

[24] Dissentit Dirksen Abh. l. c. p. 110 qui servos et magistros

Confirmatur haec argumentatio, quam ex summis principiis iuris Romani traximus, egregia ipsius Dirksenii observatione, qua agrum consecratum non Deorum collegiorumve fuisse, sed publicum rerum sacrarum causa sacerdotibus utendum concessum comprobavit [25]. Ita Dionysius [26]: *ὅσην τε*, inquit, *τὸ κοινὸν ἡμῖν ἐκέκτητο γῆν — διαμερισθῆναι χωρὶς τῶν ἱερῶν κτημάτων ἐξ ὧν αἱ θυσίαι τοῖς θεοῖς ἐγίνοντο.* Quod ut verum est de agris, ita servi quoque collegiorum sacrorum publica auctoritate institutorum publici fuerunt. Cuius rei complura exempla collegit Marinius [27] quorum unum apponam: *Antiocho publico p. R. Aemiliano* [28] *pontificali.* Ita *publici sodalium Titium, Augurum, fratrum Arvalium, pontificum, VIIvirum* al. in lapidibus saepe memorantur. — Quod de servis vidimus, de arca quoque communi collegiorum dicendum est, quae etsi discreta a publica (ita arca pontificum notis-

---

rerum publicarum antiquissimis etiam temporibus earum personas sustinuisse arbitratur in iis scil. negotiis, quae per alium administrari possent. Sed quaenam fuerunt haec negotia? unde porro servi corporis, per quos acquireretur, ipsi acquirebantur? Dirksen in tota disputatione sua a populo ad reliquas respublicas argumentum ducit, sed vix recte, populus enim a Gaio diserte excipitur. — Recte, paucis tamen hunc locum tetigit Savigny (Syst. II, 246.)

[25] l. c. p. 114. *Savigny* Syst. II, 253. Adde Aggeni verba p. 72 Goes.: *Sunt loca publica complura, sed ex his quaedam loca privatam exigunt defensionem — — Quae* (scr. *quaedam*) *nullo modo abalienari possunt a republica, ut si quid in tutelam templorum aut balnearum adiungitur.*

[26] Arch. III, 29.

[27] Atti I, p. 211.

[28] Ib. p. 213. Servi publici plerumque duo nomina s. cognomina habent; ita *Graphicus Marcianus, Helius Affinianus, Hermes Caesennianus* v. Fabrett. inscr. dom. p. 336. Unde explicandi sunt *Bruttiani* qui servorum vice magistratibus ministrabant Gell. X, 3. Quod non adnotavissem nisi Orellius ea re saepe deceptus esset. Vide v. c. 2787. 2941.

sima est) tamen populi fuisse putanda est, ideo tantum separata ut sacra publica inde fierent. Quod confirmat aliquatenus Gellii auctoritas virginis Vestalis intestatae pecuniam *in publicum* redigi referentis, quam arcae virginum Vestalium saepissime in titulis sepulcralibus memoratae illatam esse consentaneum est [29]. Quod si fuerunt collegia, quibus persona tributa esset, haec sane omnium primum admitti debuerunt, ut reliqua collegia, de quibus tacetur, non meliori iure fuisse recte colligatur. Sane res eorum communes non populi erant, sed singulorum collegiatorum pro sua cuiusque parte.

Itaque collegia olim eodem plane iure erant quo fuerunt societates neque quicquam inter ea intererat nisi quod hae ad tempus constitutae erant, illa in perpetuum. Ita in Digestis [30]: „*Societas coiri potest — in perpetuum, id est dum vivunt*" et alio loco [31]: „*Nulla societatis in aeternum coitio est*," cuius rei explicatio mihi melius peti posse videtur ex eo, quod antiquitus collegium nulla re differebat a societate nisi causa perpetua, quam ex continuo consensu omnium cum omnibus, quem in societate ICti requirere solent. Societatem perpetuam esse posse ideo negabant, quod omnes societates perpetuae erant collegia. Notabilis est hoc loco lex Solonis, ex qua sacra civiliaque communia non alio iure fuerunt quam quo societates ad negotiationem praedationemve constitutae: non enim erant communia illa nisi societates in perpetuum contractae et lex collegii erat lex privata legi societatis omnino aequiparanda.

Ita quae supra proposuimus olim apud Romanos omnibus ius coeundi legumque sibi ferendarum fuisse satis explicata temperataque videntur esse. Societates enim

---

[29] Gell. I, 12. Dirksen l. c. p. 100. 117.

[30] l. 1. pr. D. pro soc. XVII, 1.

[31] l. 70 eod.

privatae semper coierunt coibuntque sine publica auctoritate; quod ius olim non minuebatur cum ex causa perpetua societas constituebatur. Hoc tamen negari non potest liberam hanc coeundi facultatem periculosissimam fuisse in civilibus temporibus, ut cohibere eam, coercereque ex re videretur esse. Sed hac sanctione ius ipsum non immutabatur; collegia excepta seu licita ideo non magis personam habebant, quam hoc tempore ubi coetus sociales publica confirmatione indigent, omnes ea adhibita personae efficiuntur. Ita multis locis constitutum est ne cives academici librorum actorumque publicorum legendorum societatem instituant nisi re a magistratu competente permissa; nemini tamen hanc societatem iuris personam dicere in mentem venit. Posteriori tempore habent quidem omnia collegia licita personam standi in iudicio, hoc vero non ex eorum natura sequitur, sed ex speciali attributione repetendum est. Quod ius qua ratione acceperint, infra opportunius dicetur; nos iam redeamus ad huius capitis argumentum [32].

§ 6.

Cum rerum ordo apud Romanos immutaretur et libera rei publicae forma in regnum sensim abiret, Romae quoque malorum hominum consociationes illae, quae turbas civiles et sequi et incitare rursus solent, saepissime fiebant. Quae etsi in rebus Romanis enarrandis neutiquam ne-

---

[32] Dirksen ita fere rem explicat: collegia licita i. e. publica auctoritate instituta semper personam habuisse; illicita autem a populo tolerata esse usque ad SCtum, personam vero nunquam habuisse (vide e. c. p. 46). Sed illicita collegia quae tolerarentur est contradictio in adiecto; nemo praeterea negabit antequam ius coeundi tolleretur omnia collegia licita fuisse, etiam publica auctoritate haud confirmata.

gligendae sunt (quanquam exiguam tantum notitiam earum ad nos pervenisse admodum dolendum est): tamen enumerare singulas factiones earumque vim in rebus publicis moderandis explicare et per se desperata res est et a re nostra plane abhorret. Nos ad rem sodaliciariam qua ratione instituta sit explicandam accedemus, cum effecerimus ut quanta pestis reipublicae sodalicia fuerint exemplis aliquot cognoscatur. — Q. Cicero ad fratrem consulatum petentem c. 5: *Quod si satis grati homines essent, haec omnia tibi parata esse debebant* (scil. subsidia in petitione consulatus) *sicut parata esse confido: nam hoc biennio quattuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti C. Fundani, Q. Galli, C. Cornelii, L. Corvini* [1]. *Horum in causis ad te deferundis quidnam eorum sodales tibi receperint et confirmarint scio: nam interfui.* Haec verba, quae non parum etiam conferunt ad legem, quam Cicero sibi se iam pridem tulisse asseverat [2] de civium periculis defendendis, recte interpretandam, non solum ostendunt quantopere haec labes in intimos recessus rerum publicarum manaverit, sed etiam qua singulari impudentia ne celata quidem sit haec turpitudo [3]. Accusationes etiam ut defensiones a sodalitatibus suscipiebantur: Cic. ad Qu. fr. III, 1, 5: *Gabinium tres adhuc factiones* [4] *postulant. L. Lentulus flaminis filius —, Ti. Nero cum bonis subscriptoribus, C. Memmius tr. pl. cum L. Capitone.* Memorabilis denique narratio Dionis, qui postquam coitionem

---

[1] Cf. Drumann V, 374. 408. 409.

[2] pro Mur. 3, 5.

[3] Cic. ad Qu. fr. III, 1. negat se in coitione candidatorum interfuisse; *eiusmodi enim pactiones in ea factae sunt ut nemo bonus interesse debuerit.* Interfuit videlicet aliis multis, quas non ita turpes fuisse gloriatur.

[4] Ita Ascon. in Corn. p. 75 *coetus factiosorum hominum* commemorat. Factio saepe de collegio illicito usurpatur. Fest. epit. v. factio p. 65 Lind. Herald. ad Tertull. apolog. p. 147.

triumvirorum anni LX a. Chr. retulit ita pergit (XXXVII, 57): συμφρονησάντων δὲ ἐκείνων καὶ τὰ ἑταιρικὰ σφῶν (i. e. collegia cf. XXXVIII, 13) ὡμολόγησαν καὶ ἐποίουν καὶ οὗτοι μετὰ ἀδείας ὅσα ἤθελον, ἡγέμοσιν αὐτοῖς χρώμενοι [5]. De hoc sodalicio accipiendum est, quod dictus est Vatinius, cum accusaretur a Licinio Calvo de sodaliciis, *audacissimus de factione* [6], nempe IIIvirorum. Nam Calvus ut sodalis eius Catullus ab altera parte stabant, quod et carminibus amaris et obnitendo in rebus publicis testati sunt [7]. Eiusmodi hetaeriarum criminibus [8] factum esse tradit Asconius loco supra relato [9], ut senatus ius coeundi tolleret. Quod autem ratio postulare videbatur, ut transiremus ad leges contra collegia latas, id ideo distulimus, quoniam leges istae etsi praecipue factiosos coercebant, tamen multo latius patebant toto iure coeundi sublato; qua re factum est, ut proximo demum capite de iis agere placeret. Nam etsi de hetaeriis haec dixisse sufficiat, ne historici provinciam invadamus, tamen restat contigua quae plene a nobis tractanda est. Dico crimen sodaliciorum, in cuius enarratione praeter hetaerias alterum genus sodaliciorum itidem rerum novandarum causa institutum apparebit ab hetaeriis diversum.

§ 7.

Crimen sodaliciorum est species ambitus propriae quaestioni attributa. Dio Cass. XXXIX, 37. de lege Licinia:

---

[5] Cf. Drumann III, 193.

[6] Ita iungendum est. Orationis reliquias collegerunt Weichert poet. Lat. rel. p. 113. Meyer or. Rom. fr. ed. 2. p. 474.

[7] Weichert l. c. p. 129.

[8] Vide etiam Pseudo-Cic. decl. in Sallust. 5, 14: *abiit in sodalicium sacrilegi Nigidiani; bis iudicum ad subssllia attractus extrema fortuna stetit;* qui locus eadem ratione ad latrones pertinere potest ac ad turbas civiles. Ceterum certorum virorum factiones raro nominantur, etsi saepe dignoscuntur, ut Milonis et Clodii.

[9] p. 34.

πικρότερα ἐπιτίμια τοῖς δεκάζουσί [1] τινας ἐπέταξαν. Cic. pro Planc. 15, 36 *nomine legis Liciniae quae est de sodaliciis omnes ambitus leges complexus es.* — c. 19, 47. *haesitantem te in hoc sodaliciorum tribuario crimine ad communem ambitus causam contulisti.* — c. 20, 49 dicitur M. Crassus *harum ipsarum legum ambitus auctor.*

Wunder [2] Crassum praeter hanc de sodaliciis aliam etiam legem de ambitu sanxisse putat, permotus locis Dionis et postremo Ciceronis. Sed hoc verisimile non est, cum nullum eius legis vestigium unquam inveniatur [3]; neque necessarium est, nam hac etiam explicatione Cicero legem de sodaliciis in legibus ambitus collocavit, ut eadem ratione recte eam ambitus legem appellare posset. Videtur Wunderum numerus plurativus turbasse [4]; sed ut caput legis saepe dicitur lex, ita lex universa saepe *leges.* Ita *leges Atiniae, Furiae* Cic. Verr. L. I, 42, 109; *Voconiae, Atiniae leges* Cic. Philipp. III, 6, 16; *leges Iuliae* Cic. ad Att. II, 18; *legibus agrariis frumentariisque latis* Liv. ep. 71. cf. 103; *Iuliae rogationes* Tac. Ann. III, 25; *Oppiae leges* Tac. Ann. III, 33. 34; *Semproniae rogationes, Serviliae leges* Tac. Ann. XII, 60 de lege iudiciaria C. Gracchi legeque Caepionis; *Iuliae leges, Calpurnia scita* Tac. Ann. XV, 20. Quare Wunderi interpretatio reiicienda est.

Crimine ambitus tenebantur soli candidati; socii delicti a poena liberi erant [5]. Isidor. V, 26 *ambitus iudicium*

---

[1] i. e. qui ambiunt, non qui decuriant. Vide XXXVII, 29 de lege Tullia; XL, 52; LIV, 16 de lege Iulia Augusti al. Infra § 8 extr.

[2] Praef. ad Planc. p. LXXIII.

[3] *Harum ipsarum legum* etiam male diceretur, si ad aliam praeterea Cicero respiceret.

[4] Idem accidit Drumanno III, 197 et Göttlingio röm. Staatsverf. p. 439. in locis similibus.

[5] scil. ex iure Romano, quo nisi de sociis specialiter cautum erat lex ad eos non trahebatur. Heffter Criminalr. § 84 n. 2. Hodie

in eum est qui largitione honorem capit et ambit, amissurus dignitatem quam munere invadit [6]. Idem cernitur in poenis ambitus; ita in legis Corneliae u. c. DCLXXIII [7] ut magistratuum petitione per X annos abstinerent condemnati [8]; legis Calpurniae u. c. DCLXXXVII μήτ' ἄρχειν μήτε βουλεύειν σφῶν μηδένα [9]; legis Iuliae Augusti ut ambitus convicti in quinquennium a petitione magistratuum arcerentur [10]. Exceptum erat unum genus sociorum, divisores scilicet: Cicero pro Cornel. ap. Ascon. p. 74. „*cum hunc* (ambitum) *populus Romanus videret et cum a tribunis plebis doceretur* (eum) *nisi poena accessisset in divisores extin*(gui n)*ullo* (cod. *extinct . . . . ullo*) *modo posse; legem hanc Cornelii flagitabat, illam quae ex SCto ferebatur repudiabat idque iure, ut docti sumus duorum consulum designatorum calamitate.*" Item in alio frustillo Cornelianae (I, 32 Nobb.): „*repugnare, ut divisores quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet infligere,*" quo loco acerbe admodum tangit C. Calpurnium Pisonem, qui legem hanc de ambitu ex SCto tulit in consulatu suo; largitione enim eum honorem adeptus est et lege ambitus ante reus factus, quam consulatum iniret [11]. Caput de

---

id tantum dubium est utrum qui alterius nomine ambiunt, auctoris poenam patiantur (Wächter Lehrb. § 225 n. 15 al.) an quod mihi videtur socii (Heffter l. c. § 529 b.)

[6] cf. l. un. § 1 D. de lege Iul. amb. XLVIII, 14. Paul. S. R. V, 30, 1.

[7] Videtur enim a Sulla rogata atque diversa a lege Cornelia Baebia anni DLXXII. (Liv. XL, 19).

[8] Schol. Bob. in or. pro Sulla 5, 17. p. 361 Or.

[9] Dio Cass. XXXVI, 21. Schol. Bob. l. c.

[10] Dio Cass. LIV, 16. — Heffter l. c. ut socios apud Romanos quoque poenae obnoxios fuisse probet, provocat ad l. 16 C. si cert. pet. IV, 2. Nov. 123 c. 2. 16. At poenae quibusdam criminis huius sociis ibi propositae non sunt poenae ambitus, sed delictorum specialium. Cf. Wunder prolegg. p. LXXIV sq.

[11] Drumann II, 93.

divisoribus quod erat in lege C. Cornelii, quae perlata non est, nisi est receptum lege Calpurnia [12] tamen postea fortasse lege Tullia [14] obtinuit. Cicero pro Planc. 23, 35: *qui si erat divisor — cur abs te reus non est factus? cur non eius damnatione aliquid ad hoc iudicium praeiudicii comparasti?* Sed hic quoque regula firmatur exceptione. Designatum esse eum candidatum qui ambitum fecisse dicebatur non opus erat; sufficiebat petitorem fuisse [14].

Quod de ambitu locum habet, traditur quoque de sodaliciis; quam quaestionem Cicero [15] reprehensionem iudicii de candidatis a populo Romano in comitiis lati appellat. Idem affirmant Scholia Bobiensia [16]. Male igitur Wunderus [17]: „*lex Licinia,* inquit, *ut ferretur senatus auctor fuit* (*cf. Planc.* 15, 36. 37. 16, 39 *extr.* 17, 41. 18, 44. 45.), *qui iam anno ante referente Cicerone ad Qu. fr. II,* 3, 6 *decreverat ut sodalitates decuriatique discederent lexque de iis ferretur ut qui non discessissent ea poena quae est de vi tenerentur.*" At ut omittam poenam diversam et tempus inter SCtum a. d. IV Id. Febr. prioris anni factum et legem satis longum: SCtum omnes qui rerum novarum moliendarum causa coissent [18], ita reos fecit, si non discessissent tempestive: lex Licinia eos tantum qui ambitum fecissent et quidem solos candidatos. Quare plane diversa crimina legis et SCti esse apparet.

---

[12] Quod divisorum multitudo ei obstitit (Asc. in Cornel. p. 75.) etiam alia ratione explicari potest.

[13] Huc refero pro Mur. 23, 47 de ea lege: *poena gravior in plebem — exsilium in nostrum ordinem.* Cf. etiam Ferrat. epist. p. 54.

[14] Ita victi candidati etiam postulabantur. Cic. Brut. 30, 113. Philipp. XI, 5, 11 coll. Drumann. II, 97. Ante comitia quoque accusari potuerunt. Drum. III, 6.

[15] pro Planc. 3, 8.

[16] arg. Planc. p. 253 verb.: *ut quaereretur in candidatos.*

[17] Proleg. p. LXXV.

[18] Haec SCti interpretatio infra confirmabitur.

Crimine sodaliciorum qui tenerentur vidimus; iam videamus quid requiratur ut delictum consistat. — Sodalicia Wunderus [19] recte monuit gravissimam speciem ambitus fuisse, ut perduellionem maximum inter maiestatis crimina. Neque obstat quod interdum ob eandem rem eundem hominem et ambitus et sodaliciorum reum factum esse scimus [20]. Qui enim sodaliciorum crimini obnoxius est, plerumque ea ipsa re leviora etiam quae ambitus quaestioni relicta erant admisit.

Quaeritur autem quid accedere debuerit ut a communi causa ambitus ad sodaliciorum crimen perveniretur. Quod si Wunderum [21] audis, erat ambitus vi determinatus [22]: „*in istiusmodi comitiis in quibus candidati sodalium opera ad consequendos honores uterentur, multitudo non tam acceptis nummis quam vi cogi solebat ut candidatis honorem mandaret.*" Sequitur in ea re Sigonium [23]: „*si quis tribules decuriasset et conscripsisset ut corrumperet populum, quoniam multitudine cogere videbatur, vis videbatur; quoniam pecunia contendebat, ad ambitum pertinebat.*"

---

[19] l. c. p. LXXIV secundum Manutium.

[20] Ascon. in Milon. p. 40: *Milo postulatus est de ambitu ab Appiis — — de sodaliciis a P. Fulvio Nerato.* Cf. ib. p. 54. Cic. ad div. VIII, 2. (Messala ambitus) *absolutus est — — Relictus lege Licinia maiore* (scr. *maiori*) *esse periculo videtur.* coll. Drum. III, p. 103. Cic. pro Cael. 7, 16 *de ambitu et de criminibus istis sodalium ac sequestrium.*

[21] p. LXXIV.

[22] Quod iis certe non probabitur, qui ambitum in corrumpendo consistere putant: Wächter Lehrb. § 225 n. 16. Heffter § 529 b. Quamquam sunt qui quoquomodo magistratus captus sit modo contra leges fiat ambitum commissum dicant, ut ambitus sit etiam violentus. Sed recte plerique hoc improbant.

[23] de iudic. L. II. c. 30. p. 1784 B. Graev. coll. p. 1788.

Sed hoc plane falsum est et unus ex copia illa errorum, qui inde a Sigonio hereditario iure transmittuntur in antiquitatibus Romanis. Argumenta quae afferuntur a Sigonio satis infirma melius infra diluuntur in expositione ambitus sodaliciarii. Nullam vim in ea re fuisse locuples auctor Dio Cassius [24] testatur, ubi de lege Licinia exponit: *πικρότερα ἐπιτίμια τοῖς δεκάζουσί τινας ἐπέταξαν· ὥσπερ τοι αὐτοὶ ἔλαττον (ὅτι οὐ χρήμασιν ἀλλὰ βίᾳ τὴν ἀρχὴν εἰλήφεσαν) ἁμαρτόντες.* Violentae petitioni, qua Pompeius et Crassus consulatum anni DCXCIX adepti erant [25], opponitur ambitus largitione commissus, quem lege Licinia coercebant. Idem docemur a Cicerone ubi de universa legis Liciniae vi et sententia exponit [26]: „*hoc sensimus: cuiuscumque tribus largitor esset et per hanc consensionem quae magis honeste quam vere sodalitas nominaretur quam quisque tribum turpi largitione corrumperet*" etc. Crimen sodaliciorum igitur non erat ambitus violentus sed et ipsum totum erat in largitione, itaque a Cicerone dicitur *infinitus ambitus* pro Cael. 7, 16 cf. 32, 78. Quam largitionem non communem sed maiorem gravioremque et certa quadam ratione determinatam fuisse consentaneum est. Eam rationem exquiramus necesse est ut quid intersit inter sodaliciorum crimen et ambitus communis, recte intelligatur.

Qui auctorum de crimine sodaliciorum narrationes obiter tantum inspexerit, ad tribus id pertinere statim intelliget, Cic. pro Planc. 15, 36 *in hac re tribuaria*; id. eod. 19, 47 *tribuarium crimen sodaliciorum*: ut qui illud cognoscere velit tribuum usum in ambitione diligenter attendere debeat. Qui sane maximus fuisse dicendus est; quicquid enim a candidatis excogitatum est ad populi studia sibi concilianda, plerumque tributim faciebant vel da-

---

[24] L. XXXIX c. 37.

[25] Drum. III, 279. Dio XXXIX, 27 sq.

[26] pro Planc. 15, 37.

bant. Neque causa obscura est. Tribules enim cum vicini essent, facile convenire adirive potuerunt ad munera percipienda; deinde cum simul suffragia ferrent [27] melius erat suffragatores habere coniunctos in maiore parte tribuum, quam eundem forte suffragiorum numerum per omnes XXXV tribus dispersum. Quapropter cum in senatu a. LXIII ageretur de ambitu coercendo, postulavit Ser. Sulpicius *confusionem suffragiorum omnium* [28], id est aucto-

---

[27] Quod eo tempore etiam de centuriatis comitiis recte dicitur; erat enim tum centuria *unius tribus pars* (Cic. pro Planc. 20, 49.) cf. Q. Cic. de pet. cons. c. 8: „hos qui *apud tribules suos* plurimum gratia possunt, tui studiosos *in centuriis* habebis."

[28] Cic. pro Mur. 23, 47 *confusionem suffragiorum flagitasti, prorogationem legis Maniliae, aequationem gratiae, dignitatis, suffragiorum.* Non intellexerunt viri docti, quae de lege Manilia voluerit Servius. Est illa sine dubio *lex Manilia de libertinorum suffragiis,* quam tulit C. Manilius tr. pl. a. LXVI extremo anno LXVII post pauculos dies quam inierat tribunatum Compitalibus (Asc. in Cornel. p. 65. Drum. IV, 416.) auctore C. Cornelio tr. pl. a. LXVII. (Cic. pro Cornel. ap. Asc. p. 64. Drum. II, 613), ut libertini in iis tribubus suffragium ferrent, qua ferebant qui eos manumiserant, id est patroni tribum sequerentur, ut forum eius sequuntur. Vide l. 22 § 1 D. ad munic. L, 1, egregie correctam a Savignyo (Zeitschr. IX, 91), l. 27 eod. Ita interpretor Dionis verba XXXVI, 25: τῷ ἔθνει τῷ τῶν ἀπελευθέρων — ψηφίσασθαι μετὰ τῶν ἐξελευθερωσάντων σφᾶς ἔδωκεν. Sed cum M'. Lepidus et L. Tullus Kal. Ian. a. LXVI magistratum iniissent, ea lex statim damnata est SCto (Ascon. in Corn. p. 66). Iam intelligitur confusione illa suffragiorum, quam Sulpicius voluit, hanc Maniliam legem quodammodo revocari, cum liberti eodem loco essent ac patroni in suffragiis ferendis. Nam fieri non potuit quin rusticarum quoque tribuum conditio cum urbanis exaequaretur sublata suffragiorum tributim ferendorum ratione. Inde etsi Sulpicius non expressis verbis repetebat legem Maniliam, quod recte Garatonius ab eo alienum esse dixit, non sine specie aliqua id ipsum ei obiicere potuerunt, quod haud scio an in senatu ab adversariis factum sit. — Denique quid sibi velit *prorogatio* illa, non facile dictu est; fortasse

ribus Manutio et Garatonio [29], ut latis suffragiis non centuriae numerarentur, sed ut omnia centuriarum omnium suffragia confunderentur; quod graviter *homines in suis civitatibus et municipiis gratiosi* tulerunt. Ut singula proponamus, candidati fautoresque eorum populo tributim supplicabant:

Cic. pro Planc. 10, 24: *appellavi populum tributim, submisi me et supplicavi* (cum Plancius aedilitatem ambiret)

Cic. pro Mil. 9, 25 (Clodius cum P. Plautio et Q. Scipioni consulatum efficere vellet) *convocabat tribus, se interponebat.*

Suet. Caes. 41. *comitia cum populo partitus est, ut — pronunciarentur pro parte altera quos ipse edidisset. Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura brevi: Caesar dictator illi tribui. Commendo vobis illum et illum* etc.

Auson. grat. act. p. 704 Toll.: *tribus non circumivi, centurias non adulavi, vocatis classibus non intremui.*

Mamertin. paneg. Iul. c. 16: (candidatis) *tributim omnes atque etiam singuli salutandi.*

Tributim dabantur convivia:

Q. Cic. de p. c. c. 11: *convivia facito et abs te et ab amicis* (sodalibus scil.) *tuis concelebrentur et passim et tributim.*

---

eo redit, quod senatus cum leges abrogare iure non posset, persaepe tamen abrogaret (vide Ascon. p. 57), post tale SCtum lex ipso iure rata pro inani habebatur. Quodsi igitur contrarium placebat senatui, non opus erat nova lege, sed effectu addito ad nudum ius, lex quae erat rursus pro lege observabatur. Si magnis licet parva componere, cogitent velim ICti de stipulatione quae exceptione perpetua ne petatur irrita facta mox reviviscat, si rursus convenit ut petatur l. 27 § 2 de pact. II, 14. Haec mihi videtur *prorogatio* dici posse, cum quod ipse iure valet ab impedimento liberatur. Similiter explicat Drum. V, 447 not. 62.

[29] Drumann V, 446 not. 61. rem haud intellexit.

item ludi gladiatorii [30]. :

Cic. pro Mur. 32, 67. *SCtum — — si gladiatoribus vulgo* [31] *locus tributim* (esset datus), *contra legem Calpurniam factum videri* — — c. 34, 72. *spectacula sunt tributim data — — locus et in circo et in foro* (datur) *amicis et tribulibus — quid statuetur in viros primarios, qui in circo totas tabernas tribulium causa compararunt?*

Denique pecuniaria largitio ut erat validissimum ambitionis adiumentum saepissime tributim fiebat. Pecuniae vero aut promittebantur, ut post comitia demum si candidatus tribum tulisset, promissa summa solveretur aut ante comitia tribulibus dividebantur. Illa est pronunciatio pecuniae in tribus aliquoties memorata:

ad Att. I, 16, 7 *Novi est in lege* (Aufidia de ambitu a. DCLXXXXIIII) [32] *hoc ut qui nummos in tribus pronunciarit si non dederit impune sit, sin dederit — — Dixi hanc legem P. Clodium iam ante servasse; pronunciare enim solitum esse et non dare.*

Suet. Caes. 19. *Lucceium sibi adiunxit, pactus ut is quoniam inferior gratia esset pecuniaque polleret, nummos de suo communi nomine per centurias pronunciaret.*

Cic. ad Qu. fr. II, 15 *non dico* ὑπερβολικῶς: *vel HS centies constituunt in praerogativa pronunciare* [33].

Cum pecunia tribulibus distribuenda erat, constitui solebat locus aliquis (saepe domus alius cuiusdam qui *sequester*

---

[30] vide caput legis Tulliae de gladiatoribus in Vatin. 15, 37. Orell. ind. leg. p. 286.

[31] Id est omnibus qui vellent tribulibus. cf. c. 35, 73. „(senatus) *num locum ad spectandum dare* (crimen putat)? *Non, sed vulgo, passim. Quid est vulgo? universis.*"

[32] Quae perlata non videtur. ad Att. I, 18, 4.

[33] Cf. pro Plancio 18, 45.

dicebatur)[34] quo candidatus nummos mitteret, divisores vero tribuum qui suam quisque tribum corrumpendam recepissent ad eos accipiendos convenirent. Ita Clodium cum sequester esset pecuniamque a candidato acceptam supprimere vellet, domum suam vocatos *divisores omnium tribuum* interfecisse narrat Cicero[35]. Eadem ratione cum Afranius a. LXI a Chr. consulatum peteret, consul M. Piso suscepisse negotium dicebatur et *domi divisores habere*; quam ob rem duo SCta facta sunt, unum *ut apud magistratus inquiri liceret*, alterum *cuius domi divisores haberentur, adversus rempublicam* fecisse videri[36]. Nam in aedibus sequestri pecuniam tribulibus ipsis numeratam esse a divisoribus non puto, cum divisores id negotium videantur habuisse, ut tribus circumirent nummosque tribulibus dividerent. Ipsi divisores tamen quinam fuerint[37], non constat. Asconium personatum quod eos cum magistris curiarum apud Plautum confudit[38], refellere opus non est; quod vero dubitat, *utrum divisor criminis nomen sit an legitimos divisores omnes tribus habeant*, considerandum est. Ipse propendet in hanc sententiam, *quia Cicero sibi unum ex iis carum dicat* et recte, quod Gruchius iam monuit. Erat

---

[34] Interdum candidati domi suae nummos solvebant; ita Scaurus ad Att. IV, 16, 4 quem locum Garatoni ad Planc. c. 10 perperam interpretatus est.

[35] de harusp. resp. 20, 42. Drumann II, 203, not. 57.

[36] Cic. ad Att. I. 16, 7; minus accurate Plutarch. Pomp. 44. Cato minor 30. — Drumann IV, 483 not. 7. Adde Cic. pro Planc. 23, 55: *crimen de nummis, quos in circo Flaminio deprehensos esse dixisti — — Neque qui illi nummi fuerint nec quae tribus nec qui divisores ostendis.*

[37] Optime de iis egit Gruchius de comit. L. I, c. 3. p. 578 sq. Graev., etsi non ex omnibus partibus sufficiat.

[38] ad Verr. Act. I, 8, 22 p. 136. Eius auctoritate motus Sigonius (de iudic. II, 30 p. 1784 Graev.) locum Cic. pro Planc. 15, 37 audacissima interpolatione corrupit.

tamen negotium sordidum et vile [39]. Divisionibus eos legitimis interfuisse Cicero interdum haud obscure significat ad Att. I, 18, 6 de C. Herennio tr. pl.: *potes nosse; tribulis enim tuus est et Sex. pater eius nummos vobis dividere solebat* [40]. Et recte Gruchius: *necessario reipublicae munere fungi divisores ex eo intelligi potest quod largitiones populo fieri legibus non prohibitas tam frequens usitatumque erat, ut necesse fuerit esse certos homines qui operam suam in hac re populo praestarent* [41]. Hoc Gruchius nondum explicavit qua ratione divisores ad tribus accederent; vide cum alios locos supra laudatos tum Verr. Act. I, 8, 22, *divisores omnium tribuum.* Est autem facillimum; quod enim populo solvendum erat, primum tribubus singulis tribui solebat, ut tribulibus distribuerent. App. B. C. III, 23: ὁ δὲ Καῖσαρ — ὅσον ἀργύριον ἐκ τῆς πράσεως ἐγίγνετο αἰεὶ κατὰ μέρος τοῖς Φυλάρχοις ἀνεδίδου νέμειν τοῖς Φθάνουσι λαβεῖν. Ascon. in Mil. arg. p. 36 Or. (Milonem) *populo tributim singula milia aeris — dedisse.* Suet. Octav. 101: *legat populo R. quadringenties, tribubus tricies quinquies HS*, id est quadringenties intulit arcae publicae, aerario populi Romani; singulis tribubus centena milia attribuit, quae civibus pro sua cuique parte darentur [42]. Cf. Cic. ad Att. I, 16 de lege Aufidia ambitus:

---

[39] Suet. Octav. 3. Cic. Verr. Act. I, 8, 22. 23. 9, 25. ad Att. I, 18, 6.

[40] Vide etiam Verr. Act. I, 8, 22. 23.

[41] Dubitationem movet quod de divisorum poena agitur neque additur in ambitione eos pecunias divisisse (vide supra p. 44). Sed ut hoc cogitatione suppleri nequeat, candidatos in largitione saepe quidem divisoribus legitimis (vide enim Verrinas ll. cc.) saepe vero aliis hominibus usos esse probabile est, quo referas quae de divisorum nomine criminoso dicta tibi videbuntur.

[42] Legatum hoc perperam explicavit Lipsius electa I, 12; melius Savigny Syst. II, 238 not. f. Utrumque legatum confundit Tacitus Ann. I, 8 *populo et plebi CCCCXXXV. dedit.*

qui nummos in tribus pronunciarit — (*et*) *dederit ut quoad vivat singulis tribubus HS MMM. debeat.* Distribuendi ratio in tribubus eadem esse debuit quae fuit in aliis communibus [43]; officium divisorum apud tribules solos commemoratur, quia tribus ex multis neque vicinis municipiis composita non facile alicubi convenire potuit [44].

Quae cum ita essent factum est ut rebus publicis operam daturi suorum praesertim tribulium studia sibi conciliarent. Q. Cic. l. c. c. 5: *per hos annos homines ambitiosi vehementer omni studio atque opere laborarunt ut possent a tribulibus suis ea quae peterent impetrare.* — cf. Dio Cass. XXXVI, 21. Hi sunt *cives ad ambitionem gratiosissimi* [45], quibus non id tantum propositum erat, ut suo nomine tribulium suffragia obtinerent, sed ut amicis etiam quae peterent impetrare possent. Cic. pro Planc. 17, 43. *Terentinam habuerat venalem* coll. c. 16, 38. Quod dicebatur *tribum alicui conficere* pro Planc. 18, 45. *conficere necessariis suis suam tribum.* cf. c. 19, 48 *per quem* (quamlibet tribum) *tulerit docebo* [46].

Candidatus si candidato tribum conficiebat, tribum ei *conferebat* s. *concedebat*:

---

[43] Lapides complura exempla offerunt, plerumque quidem usurarum, sed etiam sortis. Orell. 4075: *Ti. Claudius Chresimus — collegio dendrophor. — argenti p. X et HS X milia n. reddedit quae divisa sunt K. Aug. populo.*

[44] Magnam partem tribulium in una regione consistere, qua de re vidimus in ambitu tribuario, minime fecit, ut divisoribus carere possent.

[45] Q. Cic. l. c. coll. c. 8, ubi accurate discernuntur „*ambitiosi* qui apud tribules suos plurimum gratia possunt" ab aliis tribulibus in municipiis suis propter rem municipalem nobilibus. — Vide etiam pro Planc. 18. 19. pro Mur. 35, 73.

[46] Q. Cic. de pet. cons. c. 5. *ad conficiendas centurias homines excellenti gratia.* Cic. ad fam. XI, 16. *quando equitum centurias tenes, in quis regnas, mitte ad Lupum nostrum ut is nobis eas centurias conficiat.*

Cic. in tog. cand. ap. Ascon. p. 85: „nescis me praetorem primum esse factum, te *concessione competitorum et collatione centuriarum* et meo maxime beneficio e postremo in tertium locum esse subiectum"?

Cic. pro Planc. 22, 54: „ais prioribus comitiis Aniensem a Plotio Pedio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam, nunc ab utroque eas avulsas ne in angustum venirent". Id est: prioribus comitiis aediliciis (quae irrita ceciderant) Plotius et Plancius suae uterque tribus alterum suffragium hic Laterensi, ille Pedio concessit; postea autem coitione facta Plotius Plancio et invicem id contulit.

Quae collatio suffragiorum invicem facta dicebatur *coitio* [47] vel pertinebat certe ad coitionem; quod verius est. Est enim proprie coniunctio candidatorum eo consilio facta, ut competitores honore deiiciant [48]. De coitione recte exposuit Wunderus [49], sed quae addit non dubitare se quin in lege Licinia sancitum fuerit ne quis coiret [50] falsa omnino sunt. „*Nam coitio illa*, inquit, *ad vim pertinebat, siquidem ut alii candidati honore deiicerentur effecit.*" Fateor ignorare me quid philologi ad vim pertinere arbitrentur; iuris periti certe in hac vi deiectioneque non agnoscunt nisi lusum verborum. „*Accedit* (pergit Wunderus) *quod coitio illa fieri vix potuit nisi per sodales.*" Ne hoc quidem verum est; et si esset, tenerentur qui coierunt non propter coitionem sed propter sodalicia. „*Deni-*

---

[47] pro Planc. 22, 53: *dubitatis* (ait Laterensis) *quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius?*

[48] Saepe mentio est infamis coitionis Memmii et Domitii a. LIV ad Att. IV, 15. 18 ad Qu. fr. II, 15. III, 1. Drumann III, 3—5; quae cum sub auspiciis consulum inita esset, dicitur etiam *coitio consulum* (ad Att. IV, 15), quod notandum.

[49] l. c. p. LXXV—LXXVI.

[50] Adstipulatur ei Drum. IV. p. 93.

que quo sententia mea prorsus comprobatur, ex ipsa oratione Planciana (22, 53) *discimus Laterensem id ipsum Plancio obiecisse quod coitionem fecisset.*" At non uno loco Cicero queritur, quod Laterensis totam ambitus causam in hoc iudicium deduxerit, nec quisquam ignorat ne alienissima quidem crimina ab accusatoribus esse praetermissa [51]. Non opus est igitur ut haec confutemus eo provocare quod supra solam largitionem in hoc iudicium venire ostendimus.

§ 8.

Quae adhuc exposui etsi ad ambitum communem pertinebant, tamen sodaliciorum delictum non constituebant. Quod quid requirat iam videamus.

> Schol. Bob. in or. pro Planc. arg. p. 253: „M. Licinius Crassus — pertulit ut severissime quaereretur in eos candidatos, qui sibi conciliassent ea potissimum de causa, ut per illos pecuniam tribulibus dispertirent ac sibi mutuo eadem suffragationis emtae praesidia communicarent."

Post v. *conciliassent* verbum videtur excidisse quod *sodales* vel *amicos* fuisse puto. *Candidatos* qui suppleret, ad coitionem candidatorum rem converteret; quae et supra a nobis reiecta est et hic reiicienda. Candidati enim non conciliantur, ut per illos pecunia tribulibus dispertiatur; verba aperte significant ministros et adiutores in largiendo. Itaque haec accipienda sunt de sodalitate ambitiosorum hominum, qui cum in sua quisque tribu plurimum possent eo consilio societatem inissent, ut tribus largitionibus corrumperent et mutuo sibi emtae suffragationis praesidia communicarent [1]. — Conferas etiam quae Cicero respondit

---

[51] Pro Cluent. 41.

[1] Tota igitur sodalitatum vis eo spectat ut coniunctis viribus

cum Murena contra legem Calpurniam gladiatores dedisse accusaretur. c. 34, 72: „*factum a Murena omnino non est: ab eius amicis autem more et modo factum est*" coll. c. 35, 73 ubi initio quaedam exciderunt, ita fortasse supplenda: „[*quod si criminosum videtur amicum quendam Murenae*] *praefectum fabrum semel locum tribulibus suis dedisse, quid statuetur in viros primarios*" et reliqua; *ab amicis*, id est a sodalibus. Hoc loco explicatur quod scholium significat sodales non solum tribus confecisse candidato, sed etiam eius nomine eiusque pecunia largitos esse ut et res facilius procederet et petitor ipse ambitus iudicium vitaret.

Videtur igitur legi Liciniae locus fuisse ambitu non ab ipso tantum petitore sed per sodalitatem quae ad populum corrumpendum in perpetuum coiisset [2] commisso. Movent tamen dubitationem loci quidam in Planciana, ubi Cicero, exhortatus Laterensem ut generali ambitu omisso ad hanc quaestionem accederet, significat ea quae lege Licinia proprie requirerentur ab argumento eiusdem supra proposito satis ut videtur diversa.

pro Planc. 18, 45: decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta severitatem senatus — excitarunt. Haec doce — decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronunciasse, divisisse.

ib. 19, 47 doce (Plancium) sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribules decuriasse [3].

Eorum criminum quae hic componuntur quaedam facilem

---

omnes certius id adipiscantur quod singuli per se iam quodammodo perfecerunt.

[2] Coitio etiam societas ad largiendum potest appellari; sed discrimen est apertum. Haec enim ad certa comitia pertinebat; sodalitas autem ad omnia futura, ut collegium magis referret quam societatem.

[3] M. Caelio Rufo etiam cum de vi lege Plotia accusaretur *crimina sodalium ac sequestrium* obiiciebantur. (pro Cael. 7, 16.)

intellectum habent; difficultatem autem haud exiguam parant decuriatio illa et conscriptio, quae tolli potest adhibita comparatione legis Clodiae de collegiis. Compluribus locis Cicero invehitur in P. Clodium restitutis lege sua collegiis a. LVIII a Chr. nova collegia ordinantem:

pro Sext. 15, 34: Servorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio nomine collegiorum, cum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad direptionem incitarentur. — cf. 25, 55: nova (collegia) conscriberentur.

pro domo 5 fin.: cum — desperatis ducibus decuriatos ac descriptos haberes exercitus perditorum. — cf. 21, 54. in Pis. 5, 11. 10, 23. post red. in sen. 13, 33.

Unde Clodium ita fere rem instituisse apparet. Cum praesertim compitalicia collegia, id est eorum qui ad idem compitum habitarent, discussa a senatu restituenda essent [4], vicatim [5] homines et liberi et servi [6] Clodium in foro sedentem adibant nominaque dabant (i. e. *delectus habebatur, conscribebantur*). Ita Tacitus ubi de collegiis iuvenum constituendis verba facit: *passim*, inquit, *nomina data* [7]. — Conscriptos Clodius decuriabat; id est singula collegia in certas partes distribuebat, quae cum denos homines singulae continerent, decuriae dicebantur [8]. Collegii ita decuriati

---

[4] Capite proximo demonstrabuntur quae hic praecipio.

[5] Compita enim singula ex vicis aliquot composita erant.

[6] Compitalicia collegia erant ex sacris, a quibus servi non arcebantur. Vide interim l. 3 § 2 D. de coll. et corp. XLVII, 22.

[7] Ann. XIV, 15.

[8] Collegia in decurias (s. centurias) divisa saepe memorantur; ita collegia *Silvani* Orell. 1588. 1596. 2566. Fabrett. 448, XII; *scabillariorum* Orell. 2643. Murat. 528, 6. 529, 1=Or. 4117. Mur. 529, 2. 3.; *fabrum* Orell. 707. Spon. misc. p. 59. Kellerm. vigil. 274; *Herculis* Fabrett. 429, 4. al. Scribarum, viatorum, lictorum, praeconum decuriae notissimae sunt, unde officia magistratuum postea dicebantur *decuriales*.

optimum exemplum offert titulus nobilis, quem posuit familia gladiatoria Imperatoris Commodi [9]:

Curatores: M. Aurelius Aug. lib. Hilarus et Coelius Magnus Cryptarius.
Initiales collegii Silvani Aureliani.
Dec. I. Dec. II. Dec. III. Dec. IV.

Sequuntur nomina XXXII, quorum in tribus decuriis dena inveniuntur, quarta veluti non completa duo tantum habet spatio vacuo relicto [10]. — Ad eundem morem redit quod Livius de coniurationibus militum refert L. XXII c. 38: (milites) *ubi ad diem decuriatum* [11] *aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipsi inter se — equites decuriati, centuriati pedites — coniurabant sese fugae atque formidinis ergo non abituros neque ex ordine recessuros.* Iam apparet quid sibi velit *conscriptio* illa et *decuriatio tribulium.* Tribules qui suffragia vendere parati erant, nomina dabant apud eum, quem petitor ad hoc elegerat; quo facto conscribebantur [12], ut collegii collegiorumve tribuariorum speciem referrent. Deni quique decuriam efficiebant decurione fortasse praefecto [13], cuius ope manus ea facilius regeretur. Ita intra tribus orta sunt collegia quaedam sive sodalicia, quae in comitiis plurimum potuisse consentaneum

---

[9] Optime apud Marin. iscr. Alb. p. 12. Habet etiam Orell. 2566. Cf. eund. 2407.

[10] Pleraeque decuriae in lapidibus memoratae multo plures continent; ita decuria prima cultorum Herculis somnialis XXI homines pluresve (Fabr. 429, 4), decuria decima fabrum tignariorum (Spon. misc. p. 59) XXII, sodalicii Dei Silvani (Fabr. 448, XII) prima decuria h. XXIX, reliquae duae XXXI. Decuriis enim collegii semel constitutis numerus non facile augebatur, sed adlegebantur potius singulis decuriis qui recipiendi erant etsi numero legitimo iam impleto.

[11] Ita scribo; libri *ad decuriatum*, edd. pleraeque delent *ad.* De re vide Gell. XVI, 4.

[12] Conscriptionem Wunder in comm. ad c. 18, 45 p. 137 eandem facit cum *descriptione populi,* quam recte explicat de distributione tribuum inter amicos sociosque, ut suam quisque tribum corrumperet.

[13] Quos Wunderus perperam cum sodalibus confundit (l. c.)

est. Denique singulae tribus quasi pro collegiis erant, quae decurias istas partes haberent. Ita Cic. pro Mil. 9, 25 de ambitu Clodii sequestris consulum qui erant futuri: *Collinam novam delectu perditissimorum hominum conscribebat* [14]. Collegia opificum, quibus tantum in campi certaminibus tribuere solebant maiores nostri, etsi non plane aliena ab iis erant, tamen cum istis nullo modo comparanda sunt. Ea inter alia significari puto a Q. Cicerone de pet. cons. c. 1. in subsidiis petitionis enumerandis: *habes aliquot collegia;* et c. 8 de plebe urbana: *habeto rationem Urbis totius, collegiorum omnium, pagorum, vicinitatum. Ex iis principes ad amicitiam tuam si adiunxeris* rell.; tum de Italia: *qui apud aliquam partem tribulium propter municipii aut civitatis aut collegii rationem valent cupidos tui* (constituito). Ita tituli de comitiis municipalibus Pompeiis in muris reperti:

Orell. 3700, c.: Popidium Rufum aed. piscicapi fa(ciunt).

Orell. 3706, d.: C. Cuspinium Pansam aed. aurifices universi rogant.

Orell. 4265: Marcellinum aed. lignari et plostrari rog(ant) ut f(aciatis).

Collegia tribuaria a compitaliciis quae Clodius restituit diversa esse constat neque notandum nobis esset, nisi confusio eorum Sigonium et post eum Wunderum in gravissimos errores induxisset. Collegia enim a Clodio ex faece urbana [15] constituta sunt, ut asseclas fideles et validam latronum manum sibi compararet, si fides est Ciceroni. Quare Sigonius cum haec collegia ad vim faciendam constituta arbitraretur, idem traxit ad collegia tribuaria; quod

---

[14] Quanquam haec obscura sunt. Collina erat fortasse infima urbanarum (Huschke Serv. Tull. p. 705), ut eam hic figurate poni pro magna manu perditorum hominum in collegii formam redacta suspiceris.

[15] Cic. in Pis. 4, 9.

argumentum quam leve et infirmum sit, dici iam opus non est. Deceptus est conscriptione illa et decuriatione minime intellecta, quae neque ad vim pertinet neque ad ambitum, sed ad solam collegiorum institutionem; cuinam vero usui collegia destinata sint, alia plane et diversa quaestio est.

Ita quod nos facturos recepimus [16], ut duo genera collegiorum suffragationis causa constitutorum demonstraremus, perfectum videtur et plenam explicationem habent verba SCti, *ut sodalitates decuriatique* [17] *discederent*. Illae sunt consociationes honestiorum, qui cum rem publicam capessivissent secum invicem suffragatores communicabant; decuriati vero sunt ex tenuioribus, ipsi illi qui communicabantur suffragatores. Sed iam redit denuo quaestio, quid sit crimen sodaliciorum? utrum coire cum sodalibus ad tribus corrumpendas; an conscribere et decuriare tribules? quorum illud a scholiasta, hoc a Cicerone defendi videtur. Ego vero non puto contraria haec esse, etsi diversa sunt. Decuriatio enim et conscriptio etsi ab uno perfici potuit, tamen optime a sodalitate peragebatur; contra sodalitas nulla fuit, quin laboraret ut tribuum quam plurimarum suffragia decuriatis tribulibus teneret. Eosdem igitur arbitror fuisse, qui societatem inirent ad emtae suffragationis praesidia mutuo sibi communicanda atque eos, qui conscriberent decuriarentque tribules [18].

---

[16] p. 42.

[17] Scribarum decurias significari arbitratur Savigny Syst. II, 254. not. d. p. 257 not. m.

[18] Non possum praeterire quod tradunt grammatici Graeci de origine verbi *δεκάζειν*, quoniam cum decuriatione hac aliquam similitudinem videtur habere: *δωροδοκοῦντας*, i. e. suffragia vendituros convenisse ad aedem Lyci ita ut deni simul consisterent; ideo *δεκάζειν* significare corrumpere et *Λύκου δέκαδα* dici. (Meyer et Schoemann att. Proz. p. 150 cf. supra p. 43 n. 1.) Quod an verum sit, dubitari potest, etsi Meyerum plane reiicientem ea vix probaverim; sed certe similitudo digna est quae notetur. — Denique etsi alienum est

§ 9.

Nunc videndum de genere iudicii lege Licinia introducti quod plane singulare est. — Edebat accusator reo quattuor tribus, fortasse ex solis rusticis tribubus, quarum unam reus reiiceret, reliquae iudicarent [1]. Unde explicanda haec Ciceronis verba ad Att. IV, 15 (scripta a. LIV): *Messius defendebatur a nobis e legatione revocatus* [2]; *nam eum Caesari legarat Appius* (cos. eius anni). *Servilius* (Isauricus praetor) *edixit ut adesset. Tribus habet Pomptinam; Velinam, Maeciam.* Quaestio non nominatur, sed fuit sine dubio sodaliciorum. — Disceptant autem de quibus tribubus haec accipienda sint. Plerique de populi tribubus intelligunt, unde iudices (sane enim non omnes tribules iudicabant) aut sortitione praetoris [3] aut accusatoris lectione [4] constituerentur; Goettlingius vero [5] de tribubus albi iudicum selectorum accipit, quae legis Serviliae auctoritate comprobantur, v. 14: „*Qui* — — *ex* h. l. CDL viri in eum annum lecti erunt, ea nomina omnia in tabula in albo atramento scriptos patrem tribum cognomenque

---

ab hac disputatione liceat mihi referre memorabilem locum Prisciani de decuriandi vocabulo a recentioribus neglectum. Qui ait (de num. et pond. p. 1354 Putsch.): „*decanus* a decem et *decuria* et *decurio* nomen, et verbum *decurio decurias*, inde *decuriatus* ex quo *decuriata comitia*, ut a *centum* — — *centuriata comitia.*" Turnebus advers. XIII, 14 *decuriata comitia* corrupta significare putat, haud scio an perperam. Sed melius non habeo.

[1] Cic. pro Planc. 15, 36 cum schol. p. 261. Orell. 16, 38. Wunder proleg. p. LXXVI.

[2] cf. in Vatin. 14. Weichert poet. Lat. reliq. p. 112.

[3] Ita Ferratius epist. I, 5.

[4] Ita Wunderus l. c. Geib röm. Kriminalprozess p. 313.

[5] Röm. Staatsverf. p. 491 n. 3. Cf. etiam Ascon. in Cornel. p. 79.

tributimque descriptos hab*eto*." Eadem redeunt v. 17. 18. Id est tribus addenda erat cuilibet nomini et praeterea nomina tributim in ordinem redigenda. Ita recte Klenzius; Goettlingius [6] perperam de duplici albo accepit. — Mihi etsi ambigua res est tamen Goettlingii opinio verior videtur tres tribus iudicum selectorum iudicasse, quam ita admitto, ut sortitio praetoris a Goettlingio agnita plane tollatur omnesque iudices trium illarum faciamus iudicavisse. Adversatur quidem glossa Bobiensis cit. p. 261: *facta senatus consulti mentione, qui* (cod. *mentionem quae*) *secundum legem Liciniam quattuor edi tribus ab accusatore voluerit; ex quibus reo liceret unam repudiare, ut de tribus reliquis iud[icum] haberet editionem: tamen ab accusatore sic fieri voluisse ut eas ederet quas corruptas a candidato criminaretur.* Unde colligere possis de tribus reliquis tribubus iudices editos esse et quidem a reo, quod cum *iudicibus ab accusatore constitutis* apud Ciceronem ipsum pessime convenit. Sed haec falsa restitutione nituntur; omnino scribendum est: *ut de tribus reliquis iud[ices] haberet: editionem tamen ab accusatore sic fieri voluisse* et rel. Ita omnia plana [7]. Magis movet me quod Cicero in

---

[6] l. c. p. 423.

[7] Quam multis erroribus exiguae eiusmodi lacunae scholiorum Bob. occasionem dederint, uno exemplo demonstrabo. Hiatus in Miloniana 12, 33 nuper recte suppletus est ex Quintiliano IX, 2, 54 et schol. Bob. in or. de aere al. Mil. p. 346, quae ita habent: *Legis mentio fit in oratione, quae habita est pro Milone „atque per* [spatium duorum fere vocabulorum. Mai.] *nostrorum omnium"* rel. In lacuna Peyronus et Beierus multa verba intercidisse arbitrati contra libri fidem alius alia commentus est, quae supplementa pro genuinis habuisse Vangerowium (Lat. Iun. p. 3.) miramur. At cum Quintilianus quae praecedunt verba *nostrorum omnium* servarit, voces *atque per* non pertinere ad Ciceroniana constat. Scribendum igitur: *pro Milone atque per [ἀποσιώπησιν]: Nostrorum omnium* rel., Graeco vocabulo ut saepe suppleto. Ita Ciceronis verba hoc modo restituenda sunt: *Exhibe librarium illud legum vestrarum, quod te aiunt eripuisse e*

Planciana aliquoties ait non ex delectis iudicibus sed ex omni populo sumtos esse qui de Plancio iudicarent [8]. Puto tamen me hoc quoque non sine aliqua specie veri explicaturum esse. Ita fere Ciceronis disputatio interpretanda est.

Editiciorum iudicum [9] semper quidem acerbissimum genus est; sunt enim ii, quos una pars constituit [10], scilicet qui nomen defert [11]. Cicero in Plancii iudicium cum communem editiciorum iudicum acerbitatem — *ista editio per se acerba est* — tum peculiarem etiam venire queritur; quapropter comparat legis de ambitu caput nuper a Servio Sulpicio in senatu propositum [12], sed in legem,

---

domo — —, ut instrumentum tribunatus ad aliquem — deferre posset (ita libri non male). *An huius ille legis, quam Sex. Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset vivo Milone, ne dicam consule? De (?) nostrum omnium . . . . . Non audeo totum dicere. Videte quid ea lex vitii habitura sit, cuius periculosa etiam reprehensio sit. Et adspexit me* rel. Non recte plura supplentur de hac lege, quam enarraturum se negat; imo nihil videtur deesse, inconcinna enim verba oratoris animus iratus gestibusque Sex. Clodii commotus requirit.

[8] 16, 40. 17, 41.

[9] Quae Wunderus proleg. p. LXXVII de editorum et editiciorum iudicum differentia protulit, ipse mox reiecit in comm. p. 127. Editi indices sunt certae alicuius causae, editicii totum iudicum editorum genus.

[10] Serv. ad Virg. Ecl. 3, 50 „*editicius iudex est quem una pars eligit.*"

[11] Nunquam enim eum qui causam dicebat iudices edidisse est satis probabile. Sed num dicebantur ii etiam iudices editicii, qui utroque reo et edente et reiiciente constituti erant, ut in l. Servilia v. 26: „*quos is qui petet et unde petetur ex h. l. legerint ediderint?*" Servii definitio in eos non cadit neque quod maius est acerbitas ulla in hac editione inerat, ut mihi non recte dici videantur editicii: quanquam recentiores hoc facere solent.

[12] Postquam haec scripsi, accepi librum Geibii *Geschichte des röm. Kriminalprozesses* (*Leipzig* 1842. 8.) quo negatur p. 312 sq. significari hic legem a Ser. Sulpicio propositam, verbis scholii Bob. ad h. l. (p. 262) ita suppletis: „*Hac in parte commemorationem videtur facere*

quam Cicero tulit ex SCto, non receptum, ut quaestio ambitus quoque editiciis iudicibus permitteretur; quibusque rebus lex Licinia iniquior videretur exponit, quam futura fuisset lex illa se consule promulgata, si ex Servii sententia eam tulisset. Pro Planc. 17, 41: *Nuper clarissimi cives* (i. e. senatores [13]) *nomen editicii iudicis non tulerunt, cum ex CXXV iudicibus, principibus equestris ordinis, quinque et LXX reus reiiceret, L referret, omniaque potius permiscuerunt quam ei legi conditionique parerent: nos neque ex delectis iudicibus sed ex omni populo, neque editos ad reiiciendum sed ab accusatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiiciamus* [14]? Duae igitur

---

Tullius eius temporis quo Ser[vilia lex repetundarum] . . . . .; componere Ciceronem cum lege Licinia non legem Tulliam de ambitu, sed Serviliam legem repetundarum, quae et ipsa iudices editicios habuisset et ab optimatibus lege Cornelia sublata esset. At neque iudices isti ab utraque parte editi sunt editicii (vide not. 11) neque numerus convenit, sive ex centum iudicibus quinquaginta sive cum Geibio ex ducentis centum ex lege illa Servilia quae dicitur iudicasse putamus; nam loquitur Cicero de L iudicibus ex CXXV lectis, qua in re errasse eum Geibius haud scio an nemini sit probaturus. Deinde verba illa *nuper clarissimi cives nomen editicii iudicis non tulerunt* multo facilius ad senatores legem nondum latam improbantes applicantur quam ad turbas Sullanas; id si voluisset Cicero, scripsisset, opinor: *meministis bonos viros n. e. i. diutius ferre noluisse?* — Inde quod ex lege, qualem voluit Servius, equites soli iudicabant, nequaquam tum eam sequitur latam esse, cum iudicia penes equestrem ordinem essent; nam id ipsum novum fuisse existimo in Sulpicii propositis, quod senatores a iudiciis de ambitu prohibebantur. Quare cum reliqua argumenta leviora etiam sint, ingeniosa Garatonii explicatio Niebuhriique supplementum omnino retinenda sunt.

[13] Non equites, quod voluit Geibius l. c. not. 189; equites enim non dicuntur *clarissimi viri.* Cf. pro Mur. 23, 47 de eadem re: *Illa quae — senatus frequens repudiavit, mediocriter tibi adversata esse existimas? — — Editicios iudices esse voluisti* rel.

[14] Extrema verba eo pertinent, quod aliis qui de sodaliciis causam dixerant reiicere aliquot iudices permissum est.

res erant, quibus lex Licinia severius scripta erat quam Sulpicia: quod iudicum reiectio cessabat quodque iudices ex omni populo erant, non ex delectis iudicibus. E lege Sulpicia igitur iudicabant iudices ex delectis iudicibus, quod pro reo fuit. Quinam autem sunt iudices delecti? — Iudices in albo scripti esse non possunt; neque enim quidquam rei intererat ab iis iudicari potius quam ab aliis in albo non comprehensis, et ii *selecti* dicendi erant, non *delecti*. *Delecti* dicuntur plerumque iudices ad causam certam aliquam iudicandam dati, *selecti* contra iudices annuo edicto propositi. Ita Cicero pro Rosc. Am. 3, 8: *qui ex civitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter severitatem*[15]; c. 52, 151: *ad eamne rem delecti estis ut eos condemnaretis quos sectores ac sicarii iugulare non potuissent?* pro Mur. 39, 83: *delecti amplissimis ex ordinibus viri;* in Vatin. 11, 28: *quaesitore consilioque delecto;* in Verr. Act. I, 17, 52: *delecto consilio*, denique pro Sulla 33, 92: *vos reiectione interposita nihil suspicantibus nobis repentini*[16] *in nos iudices consedistis, ab accusatoribus delecti ad spem acerbitatis, a fortuna nobis ad praesidium innocentiae constituti*[17]. Ubique iudices delecti consilia in singulis causis

---

[15] Non loquitur Cicero de legendis senatoribus in album, unde confirmatur quod aliunde quoque constat, totum senatum fuisse pro albo iudicum selectorum.

[16] Nam extra ordinem causa dicebatur de vi. Cic. pro Sulla 28, 79. ad div. VIII, 8, 1.

[17] Haec verba parum expedita (ipse schol. Bob. p. 368. *Sensus*, inquit, *multae obscuritatis est*) propter insignem similitudinem locorum ex Planciana, de quibus agitur, iam explicabuntur. Non sufficiunt, quae commentator antiquus ad h. l. protulit, ut ipse auctor est, ex ingenio; ut tamen quod refert Sullam causam de vi lege Plautia dixisse, repertum ab eo in argumentis priorum enarratorum, libenter accipiamus. Quod P. Sullae crimini dabatur, erat coniuratio Catilinaria; Catilinarii enim, uti ipse Catilina a LXIII lege Plautia interrogatus est (Sall. B. C. 31. Cic. in Vat. 10, 25. Drum.

constituta peraeque significant [18]. Iudices delecti igitur diversi sunt a selectis et partem selectorum constituunt, aliquam ob causam ex iis separatam. Itaque intelligo *omnem*

V, 454), non de maiestate accusabantur, sed de vi. Cic. pro Cael. 29, 70: *Legem de vi Q. Catulus armata dissensione civium, reipublicae paene extremis temporibus tulit, quae lex, sedata illa flamma consulatus mei, fumantis reliquias coniurationis extinxit.* Unde primum confirmatur optime Waechteri viri summi ingeniosa coniectura eandem fuisse legem Lutatiam et Plautiam; Catilinarii enim opprimebantur lege de vi, quam tulit Q. Catulus, Sulla vero, ex Catilinariis unus, accusabatur ex lege Plautia de vi. Deinde ea re definitur, quo crimine C. Antonius collega Ciceronis cum reliquis sociis Catilinae a Cic. pro Sulla 2. enumeratis e republica sublatus sit. Errore Drumannus fecit eum reum maiestatis (I, 538), adsentit Meyerus (or. Rom. fr. ed. 2, p. 460); fuit enim reus de vi, id quod significat *coniurationis crimen* (pro Cael. 7, 15). Causam dixit, ut ait schol. Bob. in Vat. 11 p. 321, *accusantibus Q. Fabio Maximo et M. Caelio Rufo;* quo auctore redarguuntur Drumanni commenta, bis causam dixisse C. Antonium, maiestatis accusante Caelio et repetundarum Fabio postulante. At socii erant in accusatione de vi et tangit Cicero illius accusationem in Caeliana passim (7, 15. 31, 74. 32, 78), huius in Vatiniana (11, 28) neque quicquam impedit utrumque locum de eodem crimine vis accipere. L. Caninius Gallus sive praetor anni DCCI sive filius eius cos. DCCXVII, quem Val. Max. IV, 2, 6 C. Antonium (num eundem Hybridam?) accusasse et damnasse refert, ab hac accusatione alienus videtur fuisse. — Causam igitur dixit P. Sulla de vi, cuius quaestionis indoles ex eodem loco accuratius perspicitur. Iudices enim Cicero ait ab accusatore esse delectos et reiecto a reo certo numero reliquos iudicasse; unde colligo iudices fuisse editicios cum eodem temperamento, quo usus est Ser. Sulpicius, ut aliquot inde reiicere reo liceret.

[18] In causa Miloniana iudices cum ex populo singulari lectione scripti erant, tum ad certam causam iudicandam dati, unde eodem iure dicuntur *lecti* (Vell. II, 32. Cic. pro Mil. 4. 8, 21. 38.) sive *electi* (9, 23, ubi scribe *electi ii iudices;* codd. *electI Iudices,* cf. Garaton.), quo appellantur *amplissimorum ordinum delecti viri* (2, 4 cf. 8, 21.) — Non curo Asconii personati *nomina iudicum delectorum* (ad Verr. act. I, 6, 17 p. 131), quos ipse mox dicit *selectos.*

populum de albo universo iudicum selectorum, quod erat quasi quaedam populi imago; delectos iudices vero quo referamus, difficilius dicitur. Hic enim non sunt iudices qui de aliquo in consilium mittuntur, sed ii ex quibus consilium deligitur. Fortasse Servius permisit ei cuius nomen delatum erat, ut ex albo certam partem reiiceret quasi perhorrescendi iure, tum petitorem ex reliqua multo maiore parte edere iussit iudices CXXV, quorum LXXV reus reiiceret. Sed magis placet haec explicatio. Servius senatores ad iudicia ambitus non admisit, sed duas tantum decurias equitum et tribunorum [19]; non toti igitur populo iudicia tradidit, sed partem delegit duos ordines. Id fuisse pro accusatore, quod senatores de senatorio crimine iudicare vetabantur, non nego; sed ingeniosius quam honestius Ciceronem imperitis aliud pro alio subdidisse suspicor. Res erat acta in senatu eisque qui aderant plerisque nova [20]; quid erat quod eum impediret nisi forte veri religio? Itaque si haec non adversantur, negari non potest Goettlingii opinionem de tribubus albi multis nominibus praestare ei de populi tribubus, quam defenderunt Wunderus et Ferratius. Ita enim recte dicuntur iudices ab accusatore constituti; quod Ferratii sententiae praetorem sortitum esse iudices plane adversatur. Wunderi quidem qui accusatori lectionem tradit etsi cum Ciceronis verbis conciliári potest, tamen ita absurda est, ut multo magis sit reiicienda, nam si is qui nomen detulit, primum tribus quas velit, deinde ex iis quos velit iudices designat, reus, ut Ciceronis verbis utar, non ad iudices venit, sed ad carnifices.

---

[19] Utrique uno nomine dicuntur *principes equestris ordinis* Cic. pro Flacco 2, 4, *eiusdem scilicet ordinis viri* (schol. Bob. ad l. c. p. 229). Quod explicare longum est neque huius disputationis.

[20] Ideo etiam non licet aliunde repetere quibus Ciceronis verba explicemus; nam imperitis dicta sunt. Non sine causa igitur adiecit: *principibus equestris ordinis.*

Causa iudicii huius plane singularis non erat, ut iniquitate iudicii ambitum coercerent maloque malo mederentur, sed ut iudicarent qui testes iidem esse possent [21]. Quae res ut nos offendit qui iudicem quicquid extra iudicium habet compertum, oblivisci iubemus: ita Romanis optima probandi ratio videbatur et saepe in iudiciis lege requirebatur. Ita iudicium calumniae in causis privatis publicisque ad eundem iudicem consiliumve pertinebat iidemque iudices absoluto reo statim ut de re sibi cognita decernebant [22]. Sed clarius etiam exemplum tenemus in causa praevaricationis, testibus lege Servilia et epistola Coelii ad Ciceronem. Neuter locus cum recte intellectus sit, liceat utrumque apponere. Lex Serv. v. 74. „De praevaricatione. Praetor qui ex h. l. quaeret qua de re ei prae*tori iisque qui cum ea res iudicaretur ad eam rem iu*dicandam adfuerint qui vivent eorum maiori parti satisfactum [23] erit nomen quod ex *h. l. delatum fuit praevaricationis causa delatum esse*, *facito* . . . ." Coel. in epp. ad div. VIII, 8. refert ita: cum et Pausānias et Pilius repetundarum crimen intenderent M. Servilio, eius periculo incitatum esse Appium minorem ut indicaret pecuniam ex bonis paternis pervenisse ad Servilium praevaricationisque causa diceret depositum HS LXXXI. — — „mittit in consilium eosdem illos qui lites aestimarant iudices." Quae ita interpretanda. C. Claudius cum a. LV a. Chr. Asiam pro praetore obtinuisset, ex ea provincia repetundarum accusatus est et damnatus, ut consulatus spe deiiceretur, quem a. LIV petere destinaverat [24]. Cui cum damnato lites aestimarentur, ut

---

[21] pro Planc. 15, 37. 17, 42.

[22] Vide praesertim Aemilii Herrmanni viri humanissimi D. de abolit. p. 18 sq., in qua egregie haec exponuntur.

[23] i. e. satis probatum. Ita *satisfacere* saepe in lege Servilia usurpatur, quod interpretes non viderunt. Eadem ratione legitur Cic. de orat. III, 2, 5 in SCto: *ut populo R. satisfieret* et pro Planc. 25, 62.

[24] Repetundarum accusatum esse C. Claudium eo efficitur, quod

minoris pecuniae damnaretur effecit corrupto accusatore [25] per sequestrem M. Servilium [26]. Hunc Servilium cum Appius, minor C. Claudii paulo post damnationem mortui[27] filius, a. LI multis nominibus videret periclitantem, idoneam ratus hanc occasionem nomen eius de praevaricatione detulit, non quasi ipse praevaricatus esset, sed quod pecunia ex praevaricatione ad eum pervenisset [28], et eosdem illos

---

lites ei aestimatae sunt, quae res plerumque ad hanc quaestionem pertinet; quod ex Asia hoc ipso anno, coniectura est Drumanni, probabilis tamen. Quem si audis (II, 199. 384), Claudius absolutus est; at requirit litis aestimatio condemnationem ante factam. Vide Ciceronis verba in Clodium (ap. schol. Bob. p. 337): „At sum, inquit, absolutus. Novo quidem hercle more, cui uni absoluto lites aestimatae sunt.“ Quo posito alia, quae Drumannus statuit, sponte concidunt.

[25] Idem Ciceronem fecisse fama erat, cum Verri damnato lites aestimarentur. Drum. V, 324.

[26] Homo alioquin ignotus, nisi idem fuit ac M. Servilius pessimus orator (Cic. Brut. 77, 269), quem sine causa vel potius ex falsa Pighius ad a. DCXCIV tr. pl. facit. Repetundarum postea accusatus est a Q. Pilio Celere, cuius orationem in M. Servilium Cicero a. L. mitti sibi iubet. (Cic. ad Att. VI, 3, 10. Drum. V, 88 n. 61. cf. Meyer or. Rom. fr. ed. 2 p. 403.). — Sequestrem eum fuisse, non accusatorem, arguunt cum verba Caelii: *pecuniam pervenisse ad Servilium — depositum HS. LXXXI.*, tum maxime decretum Laterensis: *non redigam.* Ita enim non in iudicio principali pronunciabatur, quo de condemnando absolvendove reo certaretur, sed in secutorio illo, *quo ea pecunia pervenisset.* Quod ita est, sed exponere longum. Denique non ad iudicii corruptelam, sed ad accusatoris pecuniam datam esse nemo ambiget. Cic. or. part. 36, 124. cf. l. 1 D. de praevaric. XLVII, 15

[27] Drum. II, 199.

[28] Quamquam alias non quaerebatur, quo ea pecunia pervenisset, nisi cum reus principalis damnatus esset nec summa litis ex eius bonis redigi potuisset Cic. pro Rab. Post. 13, 37. Quod ut expediamus, non ponimus accusatorem C. Claudii antea in ius esse vocatum; aliter enim res explicari potest. Quaestio enim, quo ea pecunia pervenerit,

iudices, qui ante quattuor annos C. Claudio lites aestimaverant quique etiam de ipsa causa iudicaverant [29], in consilium misit.

Sed ignoscant lectores quod de itinere meo paullum declinavi; iam redeundum est ad crimen sodaliciorum. Et de genere iudicii satis videtur expositum; de poena legis Liciniae pauca addemus.

Qui sodaliciorum damnatus erat, exilio plectebatur[30]; praeterea mulcta irrogabatur et fortasse alia complura, v. pro Planc. 33 init. *agitur — Cn. Plancii salus, patria, fortunae.* Quod etsi hic non indicaretur, tamen eo probari posset quod lex Tullia de ambitu ad poenas lege Calpurnia constitutas ut pecunia mulctarentur et in perpetuum honoribus carerent damnati, exilium decem annorum addidit [31]. Exilium legis Liciniae fortasse perpetuum erat.

Ceterum quaestio sodaliciorum paucos tantum annos in usu fuisse videtur; non enim commemoratur nisi intra a. DCC et DCCIII. Anno DCC quo rogata est lex Licinia, ex ea accusati sunt mense Quinctili Messius [32], Sextili P. Vatinius [33], quem excepit in ordine reorum Cn. Plan-

---

etsi et in causa repetundarum et in praevaricationis usu venit, tamen quod de altera accepimus ad alteram applicare minime cogimur. Itaque nihil impedit quo minus in repetundarum quaestione de hac re secutorio tantum iudicio litigatum esse statuamus, in praevaricatione vero iudicio proprio et principali.

[29] pro Cluent 41, 116. pro Rab. Post. 5 init.

[30] pro Planc. 3, 8. Wunder p. LXXIX.

[31] schol. Bob. pro Sull. 5 p. 361.

[32] v. supra p. 61.

[33] P. Vatinius bis accusatus est: a. LVIII=DCXCVI lege Licinia et Iunia propter leges, quas tr. pl. proximo anno rogarat, Cic. in Vat. 14 (de lege Licinia et Iunia lata a. LXII=DCXCII, ne clam aerario legem ferri liceret v. Drumann. IV, 47.); a. LIV=DCC de sodaliciis lege Licinia, accusante C. Licinio Calvo, defendente M. Cicerone, Cic. pro Planc. 16, 40 et ibi Schol. Bob. p. 262: *De sodaliciis causam*

cius. Sequente anno Milo de sodaliciis postulatus est a Fulvio

---

dixerat P. Vatinius eodem defendente M. Cicerone. Ascon. in Scaur. init. p. 18. Cic. ad Qu. fr. II, 16. ad div. I, 9, 6. V, 9 init. Pseudo-Salust. in Cic. 4, 7. Pseudo-Cic. in Salust. 4, 12. Catull. 54. Licinianae orationis reliquias collegit Weichert. poet. Lat. p. 113 docto, ut solet, commentario eas illustrans, post hunc Meyerus orat. Rom. fr. p. 201 (ed. 2. p. 474). Iam mense Martio a. LVI=DCXCVIII., cum Cicero in Sextii defensione Vatinium acerbissima interrogatione profligaret, Licinius parabat accusationem Vatinii neque tamen, quod posuit glossator Bobiensis in Vat. 4, p. 316 reum eum postulaverat; nam nomen delaturum se Vatinii affirmabat (Cic. ad Qu. fr. II, 4). Qua lege eum accusare voluerit, ignoramus; sodaliciaria enim, quam postea elegit, uti non potuit tum nondum lata. Biennium postea demum id consilium effectum esse arguunt haec ex oratione Licinii in Vatinium: „*Perfrica frontem et dic te digniorem qui praetor fieres quam Catonem.*" (cf. Weichert poet. Lat. reliq. p. 113). Praeturam gessit a. LV, quo anno ipso creatus est statimque magistratum iniit (Drumann III, 279.) nequicquam postulantibus adversariis ne ante diem LX. magistratum inirent qui crearentur. Ita cum neque designatus, neque in magistratu accusari posset, anno demum LIV. postulatus est atque Cicero ei praetori creato illico reconciliatus (ad div. I, 9, 6) quasi Diis ludentibus inconstantiam eius et ignaviam qui ipsum Catilinam defenderat, id ipsum periculum depellere destinatus erat, quod tum maximo plausu laudibusque prosecutus est. — Ceterum tota oratio in eo fuisse videtur, ut ambitum factum esse demonstraret, qui factus sane erat impudentissime et apertissime (Drum. III, 279.); ita haec: „*Factum ambitum scitis omnes et hoc vos scire omnes sciunt.*" Sodaliciorum crimen innuit Licinius, cum Vatinium appellaret *audacissimum de factione* (v. supra p. 42.) Denique videndum est de commentatore Bobiensi qui ad haec Ciceronis in Vat. 14, 33: *postulatusne sis lege Licinia et Iunia?* notat (p. 322) *postulatusne sis lege Licinia*] *crimine de sodaliciis Vatinius coeperat accusari, de quo puniendo iis legibus cavetur* et in alia glossa p. 323 de eadem re: *Haec facta sunt, cum reus esset de vi P. Vatinius accusante C. Licinio.* Cicero loquitur de quaestione ex lege Licinia Iunia, quam turpiter confudit cum lege Licinia de sodaliciis commentator (Drum. V, 688 not. 59); quo errore in alium inductus est, ut Ciceronem Licinii accusationem faciat significare, duos post annos institutam, quam Cicero in Vatinium dixit.

Nerato [34]. Denique a. DCCIII M. Valerius Messala cum de ambitu absolutus esset, hac quaestione damnatus est [35]. — Manebat igitur etiam post legem Pompeiam de ambitu a. DCCI; sed videtur sublata lege Iulia Augusti de ambitu, quam omnino mitiores eius criminis poenas proposuisse constat [36], ut sodalicia quoque in communem ambitus causam rediisse probabile sit. Sed utut hoc fuit, sub Im-

---

Quid iste velit, quod Vatinium modo de vi, modo sodaliciorum causam dixisse narret, ignoro, nisi fortasse significat crimina vis in accusatione de sodaliciis ei exprobrata a Licinio inter alia plurima: *Non ergo magis pecuniarum repetundarum quam maiestatis neque maiestatis magis quam Plautiae legis neque Plautiae legis magis quam ambitus neque ambitus magis quam omnium legum iudicia interciderunt.* (Meyer p. 477.) Nam ne quis illis confusione plenissimis enarratoris verbis abutatur, ut sodalicia ad vim pertinere demonstret non vereor. Neque Vatinium de sodaliciis absolutum, lege Plautia repetitum esse placet, etsi Licinii complures accusationes in Vatinium memorentur (Dial. de orat. 21.) et duobus publicis iudiciis a Cicerone Vatinium defensum esse sciamus (Val. Max. IV, 2, 4). Ubi enim tantopere erratum est, quis statuet erroris modum? — Haec scripsi ut scriptorum errores confutarem, qui mire dissentiunt de accusationibus Vatinianis. Ita Ellendtius bis eum accusatum fecit, a. DCXCVI maiestatis, a. DCC ambitus; Weichertius semel a. DCXCIX ambitus, quem sequitur Orellius et ipse, ni fallor, Drumannus (IV, 196). At retractanda quaestio est post inventa scholia Bobiensia, quibus neque Weichertius neque Ellendtius uti potuerunt, Drumannus, cum posset, noluit. Voluit quidem Meyerus in ed. 2. (p. 474) sed cum ita rem institueret, ut scholia aut securus sequeretur aut plane negligeret (scilicet optimam glossam p. 262), nihil egit. Isto auctore Vatinius ter causam dixit, a. DCXCVI de vi (ex schol. Bob. p. 323), iterum a. DCXCVIII (schol. Bob. p. 316. Cic. in Vat. 4, 14. ad Qu. fr. II, 4.), denique a. DCC ambitus, contra glossam Bob. p. 262.

[34] ad Qu. fr. III, 1, 4. Ascon. arg. Mil. p. 40 extr. p. 54.

[35] Cic. ad fam. VIII, 2, 4. Drum. III, 103 n. 52.

[36] Dio Cass. LIV, 16. coll. Schol. Bob. p. 361.

peratoribus quaestio de sodaliciis in desuetudinem mox abiit, cum omnino ambitus e campo in Palatium transiret.

CAP. IV.

DE LEGIBUS CONTRA COLLEGIA LATIS.

§ 10.

Usque ad finem seculi septimi liberum ius coeundi mansit, etsi saepe senatus collegia quaedam certa sustulit; ait Asconius [1] ad a. DCLXXXIX=LXV: *frequenter tum etiam coetus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant* et pergit: *propter quod postea* [2] *collegia SCto et pluribus legibus* [3] *sunt sublata.* SCtum hic indicatum ab Asconio quo anno factum sit, viri docti dissentint, quanquam consules alibi ab eodem scriptore nominantur, in Pison. 4, 8 p. 7 Orell. *L. Iulio C. Mario coss.*

---

[1] in Cornel. p. 75. — Vide supra § 5 p. 33 sq.

[2] num: *postea ea?*

[3] Quas leges significet ignoro, nisi cogitandum est de lege quam ex SCto ut sodales decuriatique discederent rogatam esse verisimile est et de lege Licinia. Iis enim etsi collegia non tollebantur, tamen factiosorum certe sodalicia discussa sunt.

quos et ipse Cicero supra memoravit, SCto collegia sublata sunt. Apud Ciceronem loco quem Asconius significat, vulgati codices habent *L. Luscellium, C. Marium,* optimus Erfurtensis: *L. Luscellum, C. Marcium.* Quanquam nulla lectio satis emendata est, tamen sine ulla coniectura componitur optima lectio *L. Iulio C. Marcio coss.*[4], qui incidunt in annum LXIV. Quod firmatur glossa Asconii in Cornelianam supra relata. Hotomanni audacissima coniectura *L. Caecilio Q. Marcio coss.* qua SCtum anno LXVIII tribuitur, recte improbata est ab Orellio ad h. l.[5], quam nihilo minus admiserunt Dirksenius[6] et Drumannus[7]. — Ne tamen hoc SCto omnia collegia peraeque dissoluta putes, excepta sunt certa quaedam quae publicam utilitatem haberent: Ascon. in Cornel. l. c. *Collegia — sunt sublata praeter pauca atque certa quae utilitas civitatis desiderasset quasi*[8] *ut fabrorum fictorumque*[9]. Id. in Pison. l. c. *Collegia sublata sunt quae adversus rempublicam videbantur esse*[10]. Collegia quae dicto SCto sublata sunt erant urbana tantummodo, maxime compitalicia. Quae quam naturam habuerint, videndum est.

Compita proprie sunt sacella in quadriviis collocata. Orell. 1664. *Laribus competalibus sive quadrivi . . . . .* Schol. in Pers. IV, 27: *compita sunt loca in quadriviis quasi turres, ubi sacrificia finita agri cultura rustici cele-*

---

[4] Luscellus videtur correctum ex v. LVLLVS=IVLIVS; C. Marcio sibi non cognito librarii substituebant C. Marium virum clarissimum.

[5] Idem antea Turnebus adv. XXI, 15 vidit.

[6] Abh. l. c. p. 36 n. 97.

[7] II, 241. Quod cur fecerint, infra not. 23 dicam.

[8] Orell. coni. *pati;* fortasse *qualia sunt fabr.*

[9] Princ. *littorumque,* Heinecc. *tinctorumque,* vulg. *lictorumque,* quam probat Savigny Syst. II, p. 257 not. n.

[10] Cf. pro Sest. 25, 55. in Pis. 4, 9. Minus accurate Dio XXXVIII, 13. *τὰ ἑταιρικὰ — ὄντα μὲν ἐκ τοῦ ἀρχαίου καταλυθέντα δὲ χρόνον τινά.*

brabant — — compita non solum in urbe loca — — Schol. Cruq. ad Hor. Sat. II, 3, 281: *αἱ τετράοδοι Graece dicuntur.* Eo vicini conveniebant ad sacra communia laribus celebranda. Dionys. IV, 14 κατὰ πάντας ἐκέλευσε τοὺς στενωποὺς ἱερὰς κατασκευασθῆναι καλιάδας ὑπὸ τῶν γειτόνων ἥρωσι προνωπίοις i. e. per omnes vicos aediculas sacras constitui iussit laribus[11] vicinalibus. Suet. Octav. 31. *compitales lares ornari bis in anno instituit vernis floribus et aestivis*[12]. In eorum honorem celebrabantur quotannis feriae compitaliciae: Dionys. l. c. καὶ θυσίας αὐτοῖς ἐνομοθέτησεν ἐπιτελεῖσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν πελάνους εἰςφερούσης ἑκάστης οἰκίας; praesertim ludis compitaliciis, quos Augustus restituisse fertur[13]. Macrob. Sat. I, 7. *compitalibus cum ludi per Urbem in compitis agebantur* coll. Plin. H. N. XXXVI, 27. Cic. in Pis. 4, 8 *cum in Kal. Ian. compitaliciorum dies incidisset*[14], *Sex. Clodium — ludos facere — passus es.* Vicinitas ea, quae ad idem compitum rem divinam facere solebat, et ipsa *compitum* dicebatur[15]. Plin. H. N. III, 5: (Roma) *dividitur in regiones XIV, compita larium CCLXV.* Singula compita ex vicis aliquot composita esse facile intelligitur. Cultores autem larium compitalium constituere solebant collegium compi-

---

[11] Nota lares publicos heroes a Dionysio appellari. Num erant eponymi gentis ad compitum habitantis? — *Lares gentilitatum* Orell. 1663, quos Schoemann *de diis man.* (Gryphisw. 1840. 4.) p. 15 contulit, huc non pertinent, nam in lapp. Africanis *gentilitates* semper significant quas nunc ibi dicimus tribus; sed recte affert idem de laribus gentium Dion. XI, 14.

[12] Adde lapides Grut. 179, 3 (et ad eum Hagenbuch. in epp. epigr. p. 376 et ad Orell. 3959) Orell. 3958. Suet. Caes. 41. Dirksen l. c. p. 41.

[13] Suet. l. c.

[14] Nam erant conceptiva. Macrob. l. c. Gell. X, 24.

[15] Comparari igitur possunt cum nostris parochiis.

talicium. Orell. 2413. *D. M. L. Terentio Fido et Noviciae contubernali eius collegius*[16] *compitalicius*. Ludi compitalicii facti sunt communi opera a vicorum eius compiti magistris et collegii compitalicii. Ascon. in Pis. l. c. *solebant magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum; faciebant* (utrique scil.) *compitalicios praetextati.* Quae collegia ut erant aptissima ad turbas Romae movendas praecipue a senatu dissoluta esse[17] cum totus disputationis Asconianae ordo suadet, tum cernitur eo quod universum de SCto abrogando certamen in ludis compitaliciis restituendis vertebatur, denique quod *vicatim* homines conscribebantur in nova collegia, cum Clodius legem suam pertulisset.

Quod antequam Clodio succederet, quidam tr. pl. cuius nomen ne Asconius quidem reperire potuit idem sibi proposuit versus finem anni LXI=DCXCIII. Is ut viam sibi pararet ad collegia restituenda, ludos compitalicios contra SCtum facere conatus est; sed retinuit eum cos. designatus Q. Metellus Celer[18]. Melius Clodio res cessit, qui cum ex a. d. IV Id. Dec. a. DCXCV tr. pl. esset, ipsis Kal. Ianuariis a. DCXCVI annuente cos. Pisone per sodalem suum Sex. Clodium ludos compitalicios instauravit, quicquid resistebat L. Ninnius[19] collega P. Clodii, et triduo post SCtum sustulit lege Clodia *de collegiis restituendis novisque instituendis*[20] perlata. Ipse Cicero non tam

---

[16] Ita saepe lapides *collegius,* non *collegium.* Orell. 4101. 4123. 4947. Hagenb. epp. epigr. p. 373 sq.

[17] Vide etiam Dirksen l. c. p. 27 sq. p. 36—40 laudandum eo nomine quod ad opifices SCtum neutiquam pertinere docuit; quae de vera natura collegiorum a senatu abrogatorum proposuit, ambigua admodum et incerta sunt. Collegia tribuaria et compitalicia adeo confudit, ut etiam SCta a. LXIV et a. LVI permisceret (p. 40 n. 106).

[18] Cic. in Pis. l. c. Asc. ib. Drum. II, 27.

[19] Asc. l. c. Dio Cass. XXXVIII, 14.

[20] Ita appellatur ab Asconio l. c.

Clodii auctoritate [21] quam ut ultimum pugnae discrimen quamdiu posset effugeret [22], persuaderi sibi passus est utile sibi esse eam legem perferri et dehortatus est L. Ninnium ne legi intercederet; quod postea sera poenitentia factum esse querebatur. Ita SCtum a. LXIV sublatum est lege Clodia a. LVIII, id est post annos quinque, ut in verbis Asconii: *post novem deinde annos quam sublata erant, P. Clodius restituit collegia* non possit non mendum inesse [23]. Restat, ut locos de lege Clodia apponam [24]. Cic. in Pis. 4, 9: *collegia non ea solum quae senatus sustulerat restituta sed innumerabilia quaedam nova ex omni faece Urbis ac servitio concitata.* Ascon. ad h. l. *Diximus L. Pisone et A. Gabinio cos. P. Clodium tr. pl. — tulisse — de collegiis restituendis novisque instituendis, quae ait ex servitiorum faece constituta.* Cic. pro Sest. 25, 55 *ut collegia non modo illa vetera contra SCtum restituerentur sed ab uno gladiatore innumerabilia alia nova constituerentur.* Qua ratione conscriptio instituta sit et ad quaenam collegia haec lex maxime pertinuerit, iam exposui. Itaque duo tantum habeo adhuc adnotanda; primum cum servi in collegiis Clodianis essent, non esse cogitandum de collegiis

---

21 Dio l. c.

22 ad Att. III, 15, 5.

23 *Novem* qui retinet, pervenit ad a. LXVIII L. Caecilio Q. Marcio coss. Itaque multi hos consules restituerunt apud Asconium et Ciceronem in Pisoniana (v. supra not. 7). Sed refutat eos imprimis locus Asc. in Cornelianam, quem ibi attigi.

24 De lege Clodia vide etiam Drum. II, 240. V, 636, quem tantnm tribuisse antiquatae opinioni de collegiis opificum per SCtum sublatis et a Clodio restitutis etiam post Dirksenium miror. Drumanni librum qui legit, cogitet necesse est novem sola collegia a Numa instituta per SCtum esse sublata; quanquam ea omnia excepta esse constat, nam erant sane *antiquitus constituta* et fabrum fictorumque ab ipso Asconio excipiuntur. De novis collegiis a Clodio institutis similiter erravit: *„Die Namen der neuen Zünfte sind unbekannt; indess fanden sich leicht Gewerbe, von denen man sie entlehnen konnte."*

opificum, quae servos admisisse non arbitror, sed de sacris tantum [25]; deinde Clodii legem ad Urbem tantum spectavisse, cum Cicero collegia et *ex urbis faece* constituta dicat et Clodium in foro conscripsisse et decuriavisse. Innumerabilia collegia per totam Italiam sparsa antiquitus municipiorum curae videntur esse relicta. Itaque Cicero ubi collegia commemorat plerumque cogitat de solis urbanis. Cic. pro Sest. 14, 32 *nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura; nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium aut concilium aut omnino aliquod commune consilium*. Q. Cic. de pet. cons. c. 8. *Deinde habeto rationem Urbis totius, collegiorum omnium, pagorum, vicinitatum. Postea — — ne quod municipium, coloniam, praefecturam, locum denique Italiae ne quem esse patiare.*

§ 11.

Iam veniendum est ad Imperatores; nam neque SCtum a. LVI ut sodales decuriatique discederent, neque legem Liciniam de sodaliciis contra ius coeundi lata esse, sed adversus certa coetuum factiosorum genera, supra demonstratum est. — Caesar *cuncta collegia praeter antiquitus constituta distraxit* [1]; cumque nihilo minus *plurimae*

---

[25] Non ignoro in familia Augustali multa collegia opificum fuisse; ita Grut. 642, 8. *ex domo Caesarum libertor. et servor. quod est colleg. tabernaclariorum,* Mur. 528, 5. Grut. 581, 13 *coll. praegustatorum,* Card. dipl. p. 221 n. 410 *collegium cocorum Aug. n. quod consistit in Palatio,* Grut. 599, 11 *corpus lecticariorum,* Orell. 1711 *genio familiae monetal. Demetrius Caes. n. ser. Epaphroditianus* coll. Grut. 74, 1 (ubi pro II. semper IT. leg.) 45, 3. 36, 8=1066, 5. 1070, 1. Sed haec erant officia servilia magis quam coetus opificum neque proprie collegia dicuntur.

[1] Suet. Caes. 42.

factiones titulo collegii novi ad nullius non facinoris societatem coirent, idem sanxit Augustus et *collegia praeter antiqua et legitima dissolvit* [2]. Iudaeorum conventus solos Caesar excepit: Ioseph. antiqu. XIV, 17. Γάϊος Καῖσαρ [3] ὁ ἡμέτερος στρατηγὸς καὶ ὕπατος ἐν τῷ διατάγματι κωλύων θιάσους συνάγεσθαι κατὰ πόλιν, μόνους τούτους (τοὺς Ἰουδαίους) οὐκ ἐκώλυσεν οὔτε χρήματα συνειςΦέρειν οὔτε συνδεῖπνα ποιεῖν. Claudius Iudaeos quoque ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι τάς τε ἑταιρείας ἐπαναχθείσας ὑπὸ τοῦ Γαΐου διέλυσεν [4]. Caius non est dictator, qui Iudaeorum collegia non restituit sed excepit; est Caligula, qui cum Tiberius Iudaeos Italia expulisset [5] non solum eos revocasse sed pristina privilegia etiam reddidisse eis videtur. Multi Dionem ita acceperunt, quasi Claudius universum ius coeundi restitutum civibus Romanis a Caligula denuo sustulisset [6]; sed qui totum eius locum inspexerit, mecum faciet. Ceterum quod docet Iosephus Caesaris edictum ad Urbem solam pertinuisse, confirmatur cum iis quae de lege Clodia supra disputavimus, tum praesertim a Marciano l. 1 pr. D. de coll. XLVII, 22; qui postquam de licitis et illicitis collegiis exposuit *quod non tantum*, inquit, *in Urbe sed et in Italia et in provinciis locum habere D. quoque Severus rescripsit* [7]. Denique Severus Alexander collegia urbana diligenter ordinavit. Lamprid. Alex. Sev. c. 33 *corpora omnium constituit vinariorum lupinariorum* (? num *lupanariorum* ?) *caligariorum et omnino omnium artium hisque ex sese*

---

[2] Suet. Octav. 32.

[3] Reimarus ad D. Cass. LX, 6 hic Caligulam significari putat, Klenze ad l. Servil. p. 17 dictatorem. Quod verum esse ostendit Heinecc. de coll. et corpor. L. I § 17.

[4] Dio l. c. ad a. XLI p. Chr.

[5] Tac. Ann. II, 85.

[6] Heinecc. l. c. Dirksen l. c. p. 42 n. 111.

[7] Usu iam ante ius in Urbe constitutum ad provincias translatum esse indicat particula *quoque*.

defensores dedit et iussit quid ad quos iudices pertineret. Ita saepe in Digestis scriptum est collegium esse non posse nisi lege coeundi potestatem haberet vel eo quod legis vicem habet. L. 1 pr. D. quod cuiusc. III. 4. Gaius: *Neque societas neque collegium neque huiusmodi corpus passim omnibus habere conceditur; nam et legibus et SCtis et principalibus constitutionibus ea res coercetur.* l. 3 pr. D. h. t. XLVII, 22 Marcian.: *collegia si qua fuerint illicita, mandatis et constitutionibus et SCtis dissolvuntur.* Sed primum locum inter leges adversus collegia rogatas obtinuisse videtur SCtum aliquod incertae originis et aetatis [8], quod aliquoties citatur a Marciano. l. 1, § 1 h. t. *dum tamen per hoc non fiat contra SCtum quo illicita collegia arcentur.* l. 3, § 1 eod. *nisi ex SCti auctoritate vel Caesaris collegium vel quodcunque tale corpus coierit, contra SCtum et mandata et constitutiones collegium celebrant.* Deinde lapides quoque saepe exhibent collegium aliquod, quod ut licite se coire ostendat addit: *quibus ex SC. coire licet* [9]; ita *colleg. III. quib. ex SC. c*(oire) *p*(ermissum) *e*(st) Murat. 472, 3 coll. Marinio atti p. 552; collegium *dendrophor. Romanor.* Orell. 4075; *piscatorum et urin*(atorum) *totius alv*(ei) *Tib*(eris) Orell. 4115; *mensorum machinariorum* Orell. 1567=4235; *fabrum* Orell. 2797; *fabrum navalium Ost*(iensium) Grut. 437, 2=1027, 4. Murat. 520, 3=Fabrett. 719, 405; *sagarior. Romanor.* Spon. misc. p. 67 (ex sched. Barb.) Quominus hos titulos ad diversa privilegia a senatu impetrata referamus, impedit altum silentium lapidum de constitutionibus et rescriptis principum, si unum hunc exceperis Orell. 3913: *VIvir*(*i*) *Aug*(*ustales*) *soci, quibus ex permissu Div. Pii arcam habere permiss.* — Cf. Grut. 424, 12. Quibus cum

---

[8] De SCto a. LXIV cogitavit Dirksen. l. c. p. 24, quod ne speciem quidem veri habet.

[9] cf. *omnia corpora Lugduni licite coeuntia.* Grut. 399, 4. 431, 1.

plurima collegia nova constituta esse videantur [10], melius erit SCtum illud non de privilegiis aliquot sed de generali sanctione accipere. Quod multo certiori ratione efficitur ex inscriptione, non multis nota, de qua plura dicenda sunt; posita est enim in libro in his terris rarissimo, cui titulus est: *Diplomi imperiali di privilegj accordati ai militari raccolti e comentati da Cl. Cardinali* (Velletri 1835. 4). Repperi in eo inter alia multa et utilissima legem collegii alicuius [11], quod dicitur cultorum Dianae et Antinoi, integram paene servatam et meis usibus quasi paratam. Ibi ipsi legi praemittitur hoc caput ex SC. p. R:

KAPUT EX S. C. P. R.

. . . nvenire colleciumq. habere liceat. Qui stipem menstruam conferre vo-
. . . . ra in ii collegium coeant neq. sub specie eius collegi nisi semel in men-
. . . . . ferendi causa unde defuncti sepeliantur.

Quod SCtum non privilegium fuit cultoribus Dianae concessum, sed caput ex generali illo quo cavebatur quibusnam collegiis coire liceret. Primum enim si cultores Dianae specialem permissionem impetrassent, totum SCtum recepissent, certe cui collegio licentia coeundi daretur non omisissent; sed neutrum factum est. Deinde mihi restitutio aliter confici non posse videtur nisi ita ut verba: [*Quibus co*]*nvenire collegiumque habere liceat* capitis inscriptionem faciamus. Ita hic tenemus eius SCti reliquias, quod totam collegiorum rationem ordinavit. Pertinet id, ni fallor, ad primos Imperatores, fortasse ad Augustum;

---

[10] vide infra p. 83 not. 2.

[11] ad p. 264 n. 510. Exscripsit eam ex *Diss. dell' acad. Rom. di archeol.* Rom. 1825. T. II ad p. 462, ubi primum publici iuris facta est a *Rattio* quodam, qui conscripsit etiam futilem eius legis commentarium (p. 437—461). Hoc exemplo tamen utendum est, quoniam Cardinali in describendo quaedam corrupit.

[12] Lepide Ratti ita restituit: *Ex SC. p. R. convenire collegiumque habere liceat! essendo precedute queste stesse parole dall' altra KAPVT, perchè si sapesse esser questo il capo principale e di ogna cosa il principio ed il fondamento!*

factum est urbanis collegiis ordinandis, sed sive consuetudine sive principum mandatis postea receptum etiam in Italia, ubi eo usa esse collegia sub Hadriano videbimus; deinde in provinciis, quod et ipsum infra fortasse apparebit. Cuius restitutio et interpretatio non huius capitis est, sed proximo capiti de collegiis licitis sub imperatoribus relinquenda videtur.

CAP. V.

DE COLLEGIIS LICITIS SUB IMPERATORIBUS.

§ 12.

Sub imperatoribus nulli collegio ius coeundi fuisse nisi speciali lege [1] concessum proximo capite demonstravimus. Quod si iam disputationis ordo eo nos deduxit ut ageremus de collegiis quae essent licita, hoc non ita intelligendum est quasi singula corpora licite coeuntia enumerare nobis propositum sit, quod neque finem neque utilitatem aliquam haberet. Facile distinguuntur genera collegiorum etiam sub imperatoribus. Collegia templorum et opificum eundem locum etiam post libertatem sublatam obtinebant, nisi quod nova non facile constituebantur. Vide

---

[1] Quam tacitam interdum fuisse non nego, cum patientia saepe sit pro confirmatione.

quae de collegio fabrum Nicomediae instituendo Plinius ad Traianum scripsit quaeque hic Plinio respondit [2]. Officia magistratuum ad similitudinem collegiorum erant constituta, sed forma plane singulari [3]. De tribubus seniorum iuniorumve collegiorum forma ita constitutis, ut centuriae, olim tribus partes, nunc essent collegii, aliquando fusius agere mihi proposui [4]. Collegia iuvenum quae a Nerone instituta creduntur propter ludos iuvenales, postea latissime spargebantur et commemorantur in multis municipiis in curando lusu iuvenum [5]. Communia mimorum Romanorum et in nomine et in institutis *τὰ κοινὰ τῶν περὶ τὸν Διονύσον τεχνιτῶν* referunt, quae apud Graecos ampla et plurima fuerunt [6]. Ordo Augustalium denique ortus videtur ex

---

[2] Epp. X, 42. 43. Novas immunitates accepisse videntur ab Impp., si quidem publicae utilitatis causa constituta erant. l. 17 § 2 D. de exc. XXVII, 1. l. 5. §§ 12. 13. D. de iure imm. L, 6. Vat. fr. § 233—237.

[3] Quam nemo non dico explicavit, sed ne tractavit quidem. Cf. Savigny Syst. II, p. 253.

[4] Cum iis comparanda est *centuria accensorum velatorum* Vat. fr. § 138 et ibi Buchh. Orell. 2460 et in ind. quinto s. v., quae similem fortunam videtur habuisse.

[5] Tac. XIV, 15. Dio Cass. LXI, 19. Orell. 4094—4101. Visconti opere var. T. II. p. 33—46. 66. Cramer de iuven. ap. Callistr. in kl. Schr. p. 53—59. Optime vero Oderici diss. p. 90—98.

[6] Ita in *communi mimorum* theatri Bovillensis Orell. 2625 commemoratur L. Acilius Eutyches *omnibus corporibus ad scenam honoratus,* ut in decreto collegii Serapis C. I. 120: *ἐπαινέσαι αὐτοὺς καὶ στεφανῶσαι θαλλοῦ στεφάνῳ ἐν Σαραπείῳ.* Haec laudatio et coronatio modo semel facta modo in tempus vitae modo perpetua frequentissima est in collegiis Graecis (C. I. 109. 110. 2220. 2525 b. 3065. 3066), eaque in communibus mimorum *ἐν τῷ θεάτρῳ* fieri solebat. (C. I. 3067. 3068 A. B.). Communia mimorum multa inveniuntur; C. I. 349: *ἡ ἱερὰ Ἀδριανὴ Ἀντωνείνη θυμελικὴ περιπολιστικὴ μεγάλη σύνοδος τῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης περὶ τὸν Διονύσον καὶ Αὐτοκράτορα Καίσαρα — Ἀδρίανον — νέον Διονύσον [τεχνιτῶν]* ibiq. Boeckh.; C. I, 2931 Trallibus: *ἡ Ὀλυμπικὴ σύνοδος τῶν*

collegiis in Augusti honorem institutis [7] et dignus sane est, qui proprio commentario illustretur; sunt enim Augustales in obscura universa re municipali maxime in tenebris positi et nescio quomodo cum ordinem referunt tum collegia. Sed haec missa faciamus; non enim agendum est de singulis generibus collegiorum, sed de collegiis in universum. Neque ita nihil reliquum nobis erit. Privilegia enim diversam rationem habere possunt; aut certa sunt unius collegii aut pertinent ad collegia omnia quandoque futura, modo causam habeant lege comprehensam. Hanc differentiam indicaverit Gaius his verbis:

l. 1 pr. D. quod cuiusc. III, 4. Neque societas neque collegium neque huiusmodi corpus passim omnibus haberi conceditur; nam et legibus et SCtis et principalibus constitutionibus ea res coercetur. Paucis admodum in causis concessa sunt huiusmodi corpora: ut ecce vectigalium publicorum sociis permissum est corpus habere, vel aurifodinarum et argentifodinarum et salinarum. Item collegia Romae certa sunt, quorum corpus SCtis atque constitutionibus principalibus confirmatum est, veluti pistorum et quorundam aliorum et naviculariorum qui (sc. navicularii) et in provinciis sunt.

Videntur a collegiis certis discerni societates quaedam in incertum permissae, ita ut quandocunque societas puta publicanorum coierit, corpus habeat, privilegio constitutionem societatis antecedente. Est autem eiusmodi societatum natura plane singularis [8]. Collocantur in universitatibus, in-

---

ἀπὸ τῆς οἰκουμένης ἱερονείκων καὶ στεφανειτῶν cf. 2620. 2932. 3068 C.; praesertim *τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διονύσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ᾽ Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου* Strabo XIV, 643. C. I. 2933. 3067—3072.

[7] Vide supra p. 15 not. 29.

[8] Savigny Syst. II, 255.

terdum corporibus adnumerantur, sed distinguuntur semper a collegiis. Cic. pro Sest. 14, 32 *nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium aut concilium aut omnino aliquod commune consilium* [9]. Quod attinet ad iura privata, omnino aequiparantur collegiis; vide l. 3, § 4 D. de B. P. XXXVII, 1. *a municipiis et societatibus et decuriis et corporibus bonorum possessio agnosci potest*, l. 22 D. de fideiuss. XLVI, 1 *hereditas personae vice fungitur sicuti municipium et decuria et societas*, l. 31, § 1 D. de furt. XLVII, 2 postquam de municipio verba fecit: *idem scribit etiam de ceteris rebus publicis deque societatibus.* Fabrett. inscr. 632, 276 *P. Monetius soc*(iorum) *l*(ibertus) *Philogenes vasculari*(us) *Veturia C. l. Salvia sibei et sueis.* Sunt igitur eiusmodi societates re non diversae a collegiis, neque tamen collegia; carent enim causa perpetua, quam accedere oportere supra ostendimus [10], ut collegium consistat. Itidem rem publicam nullam habebant. Confirmatur igitur, quod supra docuimus collegii naturam non eo contineri, quod personam habeat; ut enim societas perpetua, id est collegium, carere potest persona, ita persona concessa est societatibus quibusdam ad tempus constitutis. Non recte igitur collegium esse statuunt plurium hominum qui municipes non sint, coniunctionem in unius personae vicem institutam. Societates, de quibus agimus, generaliter exceptas esse cum senatus ius coeundi tolleret non arbitror; coire enim cives non impediebantur nisi ex causa perpetua et ipso iure SCto non tenebantur societates. Non magis igitur eae referendae sunt inter collegia licita quam reliquae societates privatae; notanda tamen sunt quaedam peculiaria, quae communia iis sunt cum collegiis quibuscum plerumque componuntur, et repetenda ex persona utrisque

---

[9] Eadem fere in Vatin. 3, 8 in Pison. 18, 42. Cf. pro Planc. 13, 32 ad famil. XIII, 9. Fest. epit. v. magisterare p. 95 Lind.

[10] p. 39.

aequaliter attributa. De iure privato vidimus; sed morte quoque haec societas non dissolvitur ut reliquae universitates, si ita convenit [11]. Quod si non convenit, dissolvitur quidem, sed dissensu praesumto; l. 59 pr. D. pro soc. XVII, 2. „Adeo morte socii solvitur societas, ut nec ab initio pacisci possimus ut heres etiam succedat societati. Haec ita in privatis societatibus ait; in societate vectigalium nihilo minus manet societas et post mortem alicuius, sed ita demum, si pars defuncti ad personam heredis eius adscripta sit, ut heredi quoque conferri oporteat." Quod igitur negant heredem socii in societate vectigalium socium esse nisi adscitus sit, nomine aliud est, re idem [12]; „omne enim emolumentum societatis ad eum pertinet, simili modo et damnum agnoscit quod contingit sive adhuc vivo socio sive postea. Quod non similiter in voluntaria societate observatur [13]." Quare Graeci recte heredem socii socium non esse appellandum docent, nisi ita convenit [14]. — Cum igitur societates vectigalium morte socii non dissolverentur, fieri potuit ut per multos annos continuarentur Imperatorumque temporibus *pleraeque* essent *vectigalium societates a consulibus et tribunis plebis constitutae acri etiam populi Romani tum libertate*, quod ait Tacitus Ann. XIII, 50.

---

[11] ICti plerique cum ignorarent ius personae eiusmodi societatibus concessum, omnem lapidem moverunt, ut id nisi efficerent ex natura societatis privatae tamen cum ea componerent. Quod factum est inde a Graecis enarratoribus, qui callide satis comparant mandatum in mortem datum (schol. Basil. ad L. XII, tit. 1, l. 57 pr. T. II, p. 763 Heimb.). Sed omnino non ita anxii fuerunt iuris auctores apud Romànos in iure personae concedendo ac esse solent nostrates.

[12] Nisi forte de beneficio competentiae quod dicimus cogitabis.

[13] l. 63 § 8 h. t.

[14] ad h. l. T. II, p. 770 Heimb., in cuius versione negatio omissa est.

§ 13.

Ut generale privilegium coeundi nullum sit in societatibus, certe aliud proponitur a Marciano, in cuius natura explicanda non exiguae exsistunt difficultates.

l. 1 D. de coll. et corp. Mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum ne patiantur esse collegia sodalicia [1] neve milites collegia in castris habeant. Sed permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coeant, ne sub praetextu huiusmodi illicitum collegium coeat. Quod non tantum in Urbe sed et in Italia et in provinciis locum habere D. quoque Severus rescripsit. § 1. Sed religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra SCtum quo illicita collegia arcentur.

Faciliora primum explanabimus. Multi ultimis verbis omnibus collegiis sacris ius coeundi tribui existimaverunt; ut novum quotidie constituere liceret collegium, modo in Dei honorem id fieret [2]. Sed hoc absurdum est; est enim eiusmodi exceptio quae regulam inanem reddat. Obstat praeterea lex 2 D. de extr. crim. XLVII, 11. *Sub praetextu religionis vel sub specie solvendi voti coetus illicitos nec a veteranis tentari oportet.* Ipsa illa simulata religio senatum permovit ut ius coeundi tolleret. Explicanda sunt illa verba de coitionibus in templis ad rem divinam

---

[1] Supra p. 32 not. 1. *collegia sodalicia* de coetibus factiosorum interpretatus sum, sed fortasse erravi, Basilica enim ita vertunt: *οἱ ἄρχοντες πανταχοῦ κωλυέτωσαν ἐν πόλεσι καὶ κώμαις ἰδιώτας ἢ στρατιώτας ἐν τοῖς κάστροις αὐτῶν ἔχειν ἑταιρικὰ συστήματα.* Graeci igitur acceperunt de omnibus collegiis illicitis privatorum; quod ut admittam facit et auctoritas eorum in hac re maxima et sententia multo aptior et facilior.

[2] ita ipse Dirksenius l. c. p. 24.

faciendam, quae etsi neutiquam contra SCtum erant, facile tamen in fraudem SCti usurpari poterant. Quod confirmant Graeci: *καὶ χάριν εὐχῆς θεμιτῶς ἔξεστι συνιέναι.* — Sed rectius etiam haec coniunguntur cum principio, ut collegia tenuiorum de quibus ibi agitur semel tantum in mense conventum habuerint, sed ad epulas et res sacras quotiens res ferebat coierint. Quod re vera ita fuisse suo loco demonstrabitur [3].

Permittitur igitur tenuioribus stipem menstruam conferre. Sed ne hac generali permissione [4] abutantur factiosi ad coetus seditiosos sub eiusmodi specie constituendos, collegia ista semel tantum in mense coire iubentur. Quaeritur autem de quibusnam collegiis hoc privilegium intelligendum sit; non enim licere tenuioribus ex quacunque causa coire, modo semel in mense coeant, per se clarum est certumque; nam stipis menstruae collatio non nisi ad certam certasve causas pertinere posse videtur. Fieri enim non potuit, quin senatus, cum de collegiis licitis consuleretur, legitimas aliquas causas eiusmodi collationis confirmaret, non in universum stipis menstruae collationem. Si qui Marcianum minus accurate locutum esse existimant, cum pro enarrandis certis illis classibus exceptis simpliciter ea collegia licita esse affirmaret, quae stipis menstruae collatione continerentur: adhuc non repugnamus, quanquam cum erroris nihil insit in verbis *permitti tenuioribus*, non recte desiderantur, quae Marciano addere non placuit. Antequam vero in singulas causas inquiramus, videndum est annon senatus fortasse unam solam expresserit. Quod haud scio an comprobetur verbis Marciani, quae supra relata excipiunt:

---

[3] infra §. 16.

[4] Quanquam verba etiam significare possunt ad menstruam stipem conferendam plerumque ius coeundi dari solere petentibus. Sed hanc interpretationem cum ex aliis causis neglexi, tum quod cum capite SCti quod supra dedi omnino conciliari non potest.

Non licet autem amplius quam unum collegium licitum habere ut est constitutum *et* a Divis fratribus; et si quis in duobus fuerit, rescriptum est eligere eum oportere, in quo magis esse velit, accepturum ex eo collegio, a quo recedit, id quod ei competit ex ratione quae communis fuit.

Quae lex interpretes admodum vexavit et, ut fit, non minus ab iis est vexata quasi iure talionis. Ita Heineccius [5] homines pluribus collegiis adlectos sagaciter arguit non potuisse non sempiterna propemodum crapula torpere, cum singula semel in mense coirent (nam ex conventu redire quemquam posse nisi ebrium ignorabat ut Germanus). Qua re rerum ordinem quam maxime periclitari, inhiare enim alienis qui prodigi suarum facultatum essent. Sapientissimam itaque constitutionem eo pertinere, ne cives latrones fierent et praedones! Neque probabiliora protulit Dirksenius [6] etsi sane minus absurda. Bona enim collegiatorum in paucis tantummodo collegiis urbis Romae reipublicae collegii obnoxia erant, quod ipsum post Marciani tempus constitutum esse opinor. Maximam difficultatem habere hanc legem non nego; neque quemquam eam explicaturum esse puto, quin senatum ex una tantummodo causa ius coeundi reliquisse statuat. Ut enim senatus e. g. et funerum causa et incendiorum ius coeundi reliquerit, qua ratione vetiti sunt ii qui funerario collegio intererant incendiorum causa societatem inire? Quod longe aliter se habet, uno tantum certoque genere collegiorum per generale privilegium excepto; recte enim prohibebantur ii qui funeraticium ex uno collegio accepturi erant, eodem ex alio collegio sibi comparando sibi heredive suo improba ratione prospicere [7]. Accedit quod generalis privilegii nullius

---

[5] l. c. L. I, § XXV.

[6] l. c. p. 84.

[7] Quod de collegiis generali privilegio in incertum confirmatis solis locutis sum, relictis certis et speciali privilegio constitutis, con-

mentio fit neque a scriptoribus neque in lapidibus, si unum genus collegiorum funeraticiorum exceperis, quorum confirmationem in parte SCti nobis servata tenemus. Plus dico in tot collegiis quae nobis innotuerunt nullum inveniri quod habeat eam causam, quam generali lege a senatu exceptam esse verisimile sit. Quae enim a senatu maxime excipienda erant, si ulterius progredi ei e republica videbatur, collelegia ad eos usus instituta, quibus postea Christianis temporibus inserviebant orphanotrophia, ptochotrophia aliaque similia [8], nulla inveniuntur; imo alio modo iis prospexerant Imperatores. Collegia ad pias causas quaecunque erat licite coiisse Tertullianus quoque neutiquam dicit, cuius verba omnino adhibenda sunt Apolog. c. 39: „Etiam si quod arcae genus est, non dehonoraria summa quasi redemtae religionis [9] congregatur; *modicam unusquisque stipem menstrua die* vel cum velit et si modo velit et si modo possit apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis nec potaculis nec in gratiis voratrinis dispensatur; sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus

---

sulto factum est, quoniam Marciani verba de illis tantummodo accipienda sunt, quae in pr. commemoravit. Ibi autem de iure coeundi in futurum concesso agitur.

[8] Non obstant quae de collatione pro amicis incendio afflictis facta poetae tradunt. Iuv. III, 215 *ardet adhuc et iam accurrit qui marmora donet, Conferat impensas* — et mox: *meliora et plura reponet Persicus — merito iam Suspectus tanquam ipse suas incenderit aedes.* Mart. III, 52 *Emta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducenis: Abstulit hanc nimium casus in Urbe frequens. Collatum est decies.* Sed hanc collationem ex amicorum officio non ex iure collegiorum repetendam esse omnes intelligent. Denique infra, ubi de Graecis eranis pauca dicenda erunt, hunc morem inde repetendum esse docebo.

[9] id est non colligitur ex fructibus sacerdotii, ex pecunia aliisque rebus pro re divina facienda a sacrificantibus solvendis, sed ex collatione sociorum. — *Dehonorarius* est turpis. Lectio tamen incerta est.

destitutis iamque domesticis senibus; item naufragis, et si qui in insulis vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt" (i. e. aluntur captivi Christiani ab iis qui eundem Deum profitentur). Erant quidem coitiones illae illicitae, quicquid dicit Tertullianus, sed ideo tantum, quod erant Christianorum. Non enim nego per se haec omnia licite fieri potuisse et saepe facta esse a collegiatis. Sed collegia his nominibus omnibus licite institui ipse Tertullianus non sensit; recipi eiusmodi pias causas a collegio funeraticio, quam causam animadvertas a Tertulliano paene primo loco collocari, nulla lex vetabat. Quod latissime patuisse et magnam partem institutorum ad pias causas, quae postea plurima fuisse scimus, ab eiusmodi collegiis ductam esse non dubito. Fuerit arca collegii quasi communi auxilio eorum collegarum, qui subsidio indigerent, parata et solitum refugium orborum pauperumque, quam ob rem legata ad pias causas antequam Christiani imperatores melius iis prospicerent plerumque collegiis data et ab eorum magistris administrata esse arbitror. — Denique ita factum videtur esse ut Marcianus non adderet, quem in usum menstrua pecunia conferretur; etsi enim lege scriptum erat de sola pecunia in rem funerariam conferenda, re ipsa ad multa et diversa collatio spectabat. Itaque re considerata de collegiis tenuiorum haec tenenda esse arbitror. Edixisse senatum cum hetaerias coerceret, ne quis plus unum collegium haberet; ut enim singula collegia timenda erant, ita coniunctio plurium, quam saepe factam esse extremis liberae reipublicae temporibus consentaneum est, erat periculosissima, cui ita quodammodo occurrebant. Deinde cum exciperentur collegia aliqua, generaliter sanxisse senatum, ut funerum causa coire liceret; plures causas probabiles non addidisse eum, ne ipse illam legem abrogaret. Quare quicquid communi collatione indigere videretur, non propriis collegiis ad hoc institutis, sed applicatione ad collegia funeraticia perfectum esse.

§ 14.

Nunc de collegiis funerariis propriam disputationem instituemus. Quem locum tam fuse a nobis tractari erunt qui mirentur; sed non omni die in rebus antiquis explicandis incidimus in rem integram, qualem hanc esse apparebit.

Collegia Deo cuidam sacra frequentissime in lapidibus apparent [1], quae principaliter ad Deorum cultum spectavisse constare videbatur. Sed videndum est ne temere hoc admittamus. Factum enim est ut his annis duae leges collegiorum sacrorum invenirentur, cum adhuc unam solam collegii Aesculapii et Hygiae cognitam haberemus, quas omnes tres collegiorum funerariorum esse apparuit [2]. Ita coniectura ducta ad reliqua collegia, quarum rationem nomine tenus ignoramus, Dii illi tutelares collegiorum similes videntur fuisse Sanctis, qui olim apud nostrates collegiis nomina dare solebant, etsi illa ad longe alias res constituta erant quam ut bonum Nicolaum Martinumve colerent. Iam de singulis ita agemus, ut legem collegii Dianae, unde ratio horum collegiorum unice cognosci potest, post alias explicatas, quae nihil fere nisi fuisse ea funeraria significant, ultimo loco illustremus.

Lex collegii Aesculapii et Hygiae [3], quae scripta est a. p. Chr. CLIII, cum non ad constitutionem eius referenda sit, sed supplementa tantum legum priorum contineat addita post magnam donationem collegio oblatam, obiter tantum funerum causa collegium institutum esse indicat.

---

[1] Orell. inscr. c. V. § 21.

[2] Rei funerariae veteribus religiosissima sanctissimaque cura cum esset, tantum eos ei tribuisse non mirandum est. Denique respublicae ipsae habebant loca suburbana inopum funeribus destinata, quas culinas appellabant. (Aggenus p. 60. 72. Goes.)

[3] Orell. 2417.

Eadem Marcellina collegio s(upra) s(cripto) dedit donavitque HS L. m(ilia) n(ummum) hominibus n(umero) LX sub hac condicione, ut ne plures adlegantur quam numerus s. s., et ut in locum defunctorum loca veniant et liberi adlegantur; vel, si quis locum suum legare volet filio vel fratri vel liberto, dumtaxat ut inferat arkae n(ostrae) partem dimidiam funeratici.

Funeraticium [4] est summa a collegio funeraticio post mortem collegae heredibus adnumeranda, ut haec verba valde obscura id videantur dicere, non licere adlegere quem nisi in locum defuncti socii succedat; adlegendum autem esse unum ex filiis defuncti [5], nisi is certum aliquem ex filiis suis fratremve libertumve designaverit. Alium enim designari non licere; praeterea eum, qui de loco suo in collegio testamento caverit, non sequi nisi dimidiam partem funeraticii ex arca collegii heredi eius solvendi; alteram enim partem collegium retinere pro ademta adlegendi facultate. Id maxime egisse videtur Marcellina, ne extranei in collegium reciperentur; ita intestati liberos adlegi iussit, testari vero collegiatos prohibuit, nisi in favorem necessariorum.

Maioris momenti est edictum magistri collegii Iovis Cerneni a. p. Chr. CLXVII. Alburno maiori in Pannonia propositum, quod non in archetypo sed in triptycho publica fide descriptum ad nos pervenit [6]. Cuius copia cum paucis sit, libellum apponam; mutata tamen barbara orthographia (ita B cum D confunditur scribiturque liDellus, AlDurnum).

---

[4] Male lexica ex h. l. *funeraticum.* V. Orell. 4107 et legem coll. Dianae, unde etiam significatio vocabuli prodit.

[5] Quamvis possis etiam accipere de servis a collegio arcendis.

[6] Est qui Massmanno dicitur *libellus aurarius*, quem pleno ut sibi visus est commentario edidit Lips. 1840. 4. De parte palaeographica videant alii, reliqua, praesertim compilatio de collegiis, erroribus scatent; paucissima subinde retuli ne lectores hominis ingenium ignorarent.

Constructionem quam dicunt peculiarem lectoribus invidere nolui, ne incredibilem infantiam sermonis Latini seculo secundo in Pannonia usitati ignorarent.

„Descriptum et recognitum factum ex libello qui propositus erat Alb(urno) maiori ad stationem Resculi, in quo scriptum erat id quod infra scriptum est."

„„Artemidorus Apollonii, magister collegii Iovis Cerneni et Valerius Niconis et Offas Menofili, quaestores collegii eiusdem, posito hoc libello publice testantur:

ex collegio s. s. ubi erant homines LIIII, ex eis non plus remansisse ad Alburnum quam quod homines XVII [7]; Iulium Iulii quoque commagistrum suum [8] ex die magisterii sui non accessisse ad Alburnum neque in collegio (scil. *fuisse*) [9]; seque eis qui praesentes fuerunt rationem reddidisse et si quid eorum habuerat reddidisset[10] sive funeribus (scil. *impendisset*), et cautionem suam, in qua eis caverat recepisset; modoque autem neque funeraticiis sufficerent neque loculum haberet neque quisquam tam magno tempore diebus quibus legi (sc. *collegii*) continetur, convenire voluerint aut conferre funeraticia [11] sive munera.

---

[7] Massmann dubitat utrum XϚI tabulae significet XII. an XLI. (v. p. 12 n. 1); sed saepe hoc siglo notatur VI (vide Maii praef. ad Cic. de rep. p. XXVIII), quod ex nexu literarum VI, non ex Graeco stigmate ducendum esse puto.

[8] i. e. Artemidori, qui deinceps solus loquitur.

[9] Non excusatur Iulius, sed summae negligentiae accusatur, neque verba *seque — reddidisse* ad Iulium pertinent, sed ad Artemidorum. Quod non monuissem, nisi Massm. § 26 utroque lapsum esse vidissem, qui etiam commagistri munus excogitavit diversum a magistro, rem sane nihili.

[10] Hic mutata constructione coniunctivus succedit pro infinitivo. Sententia aperta est: quidquid habuisset, aut funeribus impendisse se aut in conventu reddidisse; cautionem quoque suam se recepisse ratione reddita.

[11] i. e. stipem unde funeraticia dentur.

seque idcirco per hunc libellum publice testantur [12], ut si quis defunctus fuerit, ne putet se collegium habere aut ab eis aliquem (sic.) petitionem funeris habiturum.

Propositus Alburno maiori V. Idus Febr. Imp. L. Aurelio Vero III. et Quadrato cs. [13] ""

„Actum Alburno maiori."

Ante oculos iacet, ut Massmanni verba mea faciam, protocollum integrum iustum purique stili Latini. Utut autem hoc est, sententia est perspicua; Iovis Cerneni collegium, etsi Dei nomen prae se fert, tamen institutum est ut ex stipe diebus lege comprehensis conferenda funeraticium defuncti heredibus daretur. Ceterum verba *si quis defunctus fuerit, ne putet se collegium habere* per se satis ridicula indicare videntur eos qui in hoc collegio essent non fuisse in alio ullo; si modo proprietas verborum a tali homine expectanda est.

Conferendi sunt tituli duo ad collegia opificum spectantes, qui haec quoque curam habuisse indicant ut collegae sepelirentur.

Orell. 4107=4420. D. M. C. Turius C. f. Lollianus. Quitquit [14] ex corpore mensorum machinariorum funeratici nomine sequetur, reliqu(u)m penes r(em) p(ublicam) [15] s(upra) s(criptam) remanere [16] volo, ex cuius

---

[12] Voluit: *testari se* aut *itaque testantur.*

[13] Mire Massmannus § 12 not. „non *css.* sed *cs.*, nam ex reverentia Imperatoris alter consul Quadratus solus in tabula scriptus est." Litera finalis ad indicandum plurativum numerum non geminabatur nisi sequiori aevo, v. Marini atti in ind. v. *lettere.*

[14] Incipit caput ex C. Turii testamento.

[15] Non est resp. aliqua nobis ignota, quod placuit cuidam, sed resp. mensorum supra scriptorum. Respublica non raro usurpatur de collegiis v. l. 31 § 1 D. de furt. (supra p. 85). Orell. 4068 et lapp. ibi citt. Cf. Fest. v. respublicas.

[16] *Reliquum remanere* i. e. non solvi, sed remanere.

usuris peto a vobis, colleg(a)e, uti suscipere dignemini ut diebus solemnibus sacrificium mihi faciatis, id est IIII. Id. Mart. die natalis mei usque ad X XXV, parentalis X XIIS, fios rosa X V [17]. Si facta non fuerint, tunc fisco stacionis annonae duplum funeraticium dare debebitis.

Orell. 4079. Iulius Vitalis fabriciesis (l. fabricensis) leg(ionis) XX v(alentis) v(ictricis) stipendiorum IX, anor. XXIX, natione Belga ex collegio fabrice(nsium) elatus h(ic) s(itus) e(st).

Ut hic dicitur ex collegio, i. e. sumtibus collegii elatus, ita multi tituli exstant a collegio Diis Manibus collegae cuiusdam positi, quos ad collegia funeraticia referre etsi necessarium non est, tamen admodum probabile. Ita a *collegio Fulginiae* (Orell. 2409.), a *sodalibus Herculanis* (Mur. 1991, 7 coll. 181, 1), a *collegio compitalicio* (Orell. 2413), a *sodalibus aerari a pulvinar.* (Oderici diss. p. 57), a *collegio iumentariorum portae Vercell.* (Marini atti p. 772), a *collegio Silvani Gemini* (Grut. 318, 11), *castrensi* (Grut. 333, 5. Cardin. dipl. p. 136 n. 257), *praegustatorum* (Mur. 528, 6), *fumatorum* (Orell. 5044), a *lanariis pectinariis* (Orell. 4207), denique a collegiis incertis (Kell. Vigiles 85=Grut. 1106, 2. Grut. 890, 5). Quatuor titulos eiusmodi habemus *collegii maiorum collegiique minorum quae sunt in domo Sergiae L. f. Paullinae* [18].

Ad eadem collegia mihi referenda videntur sepulcra communia collegii, quae frequentissima sunt in lapidibus.

---

[17] Ingens sane funeraticium, quod annuas usuras denariorum XLIIS s. HS CLXX gignat, nisi Muratorius numeros corrupit.

[18] Tres collegit Iahnius in spec. epigr. p. 80, sed omisit quartam omnium maxime memorabilem Orell. 4938.= Amad. anecd. lit. T. I p. 476 n. 40, ubi etiam invenies (n. 39) inscriptionem, quam Iahnius nondum editam putabat. Ceterum quae fuerint haec collegia, difficile dicitur; mihi cum omnes collegae servi sint neque dominus addatur, collegia intra familiam Paullinae videntur constituta.

Orell. 4437. Diis Manibus communibus Epaphroditus l. curator primus.

Orell. 2399. Locus sepulturae cultorum Herculis etc.

Orell. 2400. Loc. cultorum Herc. Reatini in fundo Quadrigano etc.

Orell. 2405=Fabr. 429, 4 V(ivi) f(ecerunt). Cultores *Herculis somnialis* decuria I dis manibus sibi et posterisque suis. Cf. Spon. p. 59.

Murat. 181, 2 D. M. s. Cultoribus Saturni.

Orti illustr. di un ant. lap. Istr. Ver. 1836. 8. p. 10. Dendrophoris Polensium C. Laecanius Theodorus sacer*d*os m(atris) d(eum) m(agnae) I(daeae) loc*u*m *pro* sepoltura dedit.

Mur. 491, 7 loc. sep. convictor. *qui una epulo vesci solent.*

Grut. 855, 12. Diis Manibus collegio Agrippiano.

Orell. 4103. D. M. Haec loca sunt lanariorum carminatorum sodalici, quae faciunt in agro p(assus) C, ad viam p(assus) LV.

Orell. 4093. Locum sepulturae donavit C. Valgius Fuscus collegio iumentariorum portae Gallicae posterisque eorum omnium et uxoribus concubinisque [19].

Omnino quidquid de singulis exemplis his certari potest, casu evenire non potuit, ut leges collegiorum sacrorum omnes in urbe, in Italia, in Pannonia inventae ea non instituta esse Deorum causa sed ad funera curanda indicarent; ut in plerisque collegiis ex innumerabilibus quae Deorum nomina prae se ferant eandem naturam latere facile suspicemur.

---

[19] Massmannus etiam sepulcrorum eiusmodi exempla colligere voluit (p. 81 n. 10); quae cum speciminis causa evolverem, ex undecim inscriptionibus, quarum copia mihi erat, octo longe alio pertinere intellexi. Cave igitur ne adversariis eius utaris.

§ 15.

Superest denique ut illustretur *lex collegii salutaris*[1] *cultorum Dianae et Antinoi*, quae lata est p. Chr. CXXXIII[2], *sub tetra[stilo A]ntinoi parte interiori perscripta* a. p. Chr. CXXXVI. Pertinet ad antiquum Lanuvium (hodie città-Lavinia)[3], cuius etiam dictator memoratur. Incipiamus a collatione. Et ait Senatus[4]:

Quibus coire convenire collegiumque habere liceat. Qui stipem menstruam conferre vo*lent in funera*, *ii in* collegium coeant neque sub specie eius collegii nisi semel in men*se coeant con*ferendi causa unde defuncti sepeliantur.

Quibuscum componenda sunt verba legis col. I. v. 20 sq.

Placuit universis ut quisquis in hoc collegium intrare voluerit, dabit[5] Kapitulari nomine HS C. n(ummum) et vini boni amphoram[6], item in menses sing(ulos) a. V.

A. V. est *asses* s. *aeris*[7] *quinque* (s. quinos); ita infra col. II v. 16 „*vini boni amphoras singulas et panes a. II*, *qui numerus collegii fuerit*," i. e. assium duorum. Elegans sane est interpretatio Rattii, hic *panes albos duos*, illo loco *a*(*mphoram*) *v*(*ini*) explicantis, ut stips menstrua in vino,

---

[1] Aliud *collegium salutare* est apud Orell. 2415, qui notat huiusmodi c. s. nusquam alias memorari.

[2] id est tres annos post Antinoi mortem, quae ad a. CXXX referenda videtur. Flemmer de itin. Hadr. Imp. (Haun. 1836. 8) p. 130.

[3] Ibi inventa est a. 1816 in tabulae marmoreae fragmentis.

[4] v. supra p. 81. Desunt initio versuum litterae ad XII. Primae litterae versus secundi . . . . ᴾ*A. IN. II collegium* etc. aperte corruptae sunt vel potius male descriptae.

[5] *Placuit ut — dabit.* Ita saepe per totam legem.

[6] Cf. col. II, v. 7. „Item placuit ut quisquis servus ex hoc collegio liber factus fuerit, is dare debebit vini *b*oni amphoram."

[7] Grut. 179, 3 *et municipes praesentes acciperent aeris octonos.*

collegium utique in negotiatione vinaria constiterit. Asses notantur A. ut in lege de magistris aquarum ap. Spang. p. 177, ubi notam recte explicatam a Marinio Dirksenius quoties legitur corrupit in HS. Ita igitur collegium constitutum est, ut eius summae quae in mortis diem a collegio promissa erat, quarta pars ab eo, qui intraret, statim Kapitularii nomine [8] solveretur, deinde quotannis HS XV. n. sive usurae trientes, deducta quarta parte unciae, reliquae pecuniae quasi sortis darentur [9]. Ita qui viginti annis stipem contulit, implevit totam summam funeraticii, ut commodi interusurii rationem non subducamus. (Praeterea a locupletioribus collegiatis dona exspectabantur; in ipsa lege collegii cuiusdam Graeci legimus αὐξανέτω δὲ ὁ ἔρανος ἐπὶ Φιλοτειμίαις, Boeckh. C. I. 126. Adde etiam col. I. v. 21. *Item placuit ut quisquis mensibus continenter non pariaverit et ei humanitus acciderit, eius ratio funeris non habebitur* [10].) Nam funeraticium erat sestertium CCCC. col. I, v. 23. *Item placuit quisquis ex hoc corpore n(ostro) pariatus decesserit, eum sequentur ex arca HS CCCC n(ummi).* Cum de aetate recipiendorum cautum non sit, collegii iudicio relictum est ne senes reciperet. — Qui

---

[8] *als Einschuss.* Utrumque etiamnunc solvi solet ab iis qui sunt in nostris collegiis funeraticiis.

[9] $3\frac{3}{4}$ pC.

[10] Vide etiam praef. col. I v. 14. „*Quod faustum fel*ix salutareque sit Imp. Caesari Traiano Hadriano Aug. totiusque *domus* Au*gust.*, *n*ostris collegioque nostro; et bene adque industrie contraxerimus ut *e*xitus e*or*um honeste prosequamur. Itaque bene conferendo universi consentire debemus, ut longo tempore inveterescere possimus." Quae adhortatio conferenda est cum querimoniis in edicto magistri Iovis Cerneni. Ceterum haec verba confusa sunt; *totiusque domus* pro tertio casu positum videtur et hic quoque duae formulae permixtae (quod salutare sit toti domo — pro salute totius domus) ut in illo: placuit ut dabit. Erat, qui legeret *posteris* pro *nostris* ingeniose et fortasse recte. *Contraxerimus* mihi est optativus.

manus sibi intulerunt, funeraticio excluduntur col. II v. 5. „Item placuit, quisquis ex quacumque causa mortem sibi adsciverit, eius ratio funeris non habebitur [11].“

Quibus pecuniae petitio data sit, etsi non expresse lege comprehenditur, satis tamen indicatur heredi eam non permitti, nisi testamento nominatus sit; intestato mortui funeraticium ita remansisse apud collegium, ut ex ea pecunia efferretur.

col. I v. 33. II v. 1 sq. *A nostro* collegio dolus malus abesto, neque patrono neque patronae neque d*omino* neque dominae neque creditori ex hoc collegio ulla petitio esto, nisi qui testamento heres nominatus erit [12]. Si quis intestatus decesserit, is arbitrio quinq(uennalis) et populi funerabitur.

Qui primo loco positi sunt, non sunt quidem heredes ab intestato, quo neque dominus neque creditor possunt referri. Ita patronus quoque hic non commemoratur tanquam

---

[11] Qui manus sibi non mala conscientia intulerat, sed taedio vitae, non erat infamis (l. 11 § 3 de his qui not. inf. III, 2), nisi suspendio se necasset; suspendiosis enim iusta non fiebant. Vide l. 11 § 3 cit. Serv. ad Aen. XII, 603: *Cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abiiceretur — — Et Varro ait: Suspendiosis quibus iusta fieri ius non sit suspensis oscillis veluti per imitationem mortis parentari.* Cf. Fest. epit. v. *Carnificis.* Klausen Aen. II, 1026 not. 2046 c. Denique Orell. 4404: *Baebius Gemellus Sassinas municipibus singuleis incoleisque loca sepulturae c(entum) s(ua) p(ecunia) dat extra* (i. e. exceptis) *auctorateis et quei sibi laqueo manus attulissent et quei quaestum spurcum professi essent* coll. lege Iul. mun. v. 112. 122 sq. — Ea igitur quae in lege collegii de hac re scripta sunt, non ex infamia mortis voluntariae explicanda sunt, sed ne manus sibi illaturi posteris prospicientes ante in collegio funeraticio sibi locum dolo malo compararent, ita cauta.

[12] Ne supplementum literarum quae interciderunt numerum excedat melius erit corrigere ut fecimus, sive NISI. QVem. TEST. HEREdem. NOMINAVERIT.

heres, sed iure creditoris. Scimus enim libertatis causa promissa plerumque petita esse post mortem liberti, quae causa fuit dimidiae partis bonorum possessionem contra tabulas liberti patrono dandi, ut mortuo liberto eligeret utrum libertatis causa imposita persequi mallet an admittere hanc bonorum possessionem [13]. Sed etsi heredes ab intestato disertis verbis non excluduntur a funeraticio petendo, tamen cum intestato mortuo a collegio iusta fieri addatur, apud collegium funeraticium ad ea facienda remanserit necesse est. Aeque certa ratione cuivis heredi testamentario funeraticium petere licuisse inde efficitur. Quo etiam referenda sunt quae supra ex parte iam attuli, eius qui mensibus non pariaverit rationem non haberi, *etiam si testamentum factum habuerit*, neque obstant verba praefationis minus accurata, c. I. v. 17. „Tu qui novos (antique pro *novus*) in hoc collegio intrare voles, prius legem perlege et sic intra, ne postmodum queraris aut heredi tuo controversiam relinquas." Idem intelligitur ex capite de testamento servi, col. II. v. 3: „Item placuit, quisquis ex hoc collegio servus defunctus [14] fuerit et corpus eius a domino domina*v*e iniquitatae [15] sepulturae datum non fuerit neque tabellas fecerit, ei funus imag*ina*rium fiet." De funere imaginario vide Cardinalium [16]; explicandum est ex more Romano quem refert Servius, ad Aen. II, 116: *Sciendum in sacris simulata pro veris accipi; unde cum de animalibus, quae difficile inveniuntur, est sacrificandum,*

---

[13] Zimmern Rtg. I § 218 p. 794.

[14] Ratti *defuntus,* errore typ.

[15] Corruptum hoc; num *iniquitate?* an fortasse, litera I tantum in E mutata, *INIQVETATAE*? id est INIQ. VETATAE; barbare, sed non male.

[16] dipl. imp. p. 264. Cremabatur scil. imago eius et sepeliebatur pro corpore ipso; cave cum Italis quibusdam cogites de imaginibus maiorum ante funus latis.

de pane vel cera fiunt et pro veris accipiuntur [17]. — Servi in collegiis tenuiorum non raro inveniuntur, l. 3 § 2 D. h. t. *Servos quoque licet in collegio tenuiorum recipi volentibus dominis*; sed iuris eorum plane singularis notitia ex hoc titulo primum prodit. Nam testamenta servorum etsi domini indulgentia quasi precario iure valuisse sciebamus, modo intra domum donaretur divideretur que [18], tamen civilem quodammodo effectum iis esse attributum vel contra dominos ipsos, nunc primum edocemur. Sententia capitis haec est. Funeraticium pro servo qui in collegio fuerit dandum, aut ei conceditur, quem in tabellis quasi testamento designaverit; aut si tabellas non fecerit, collegii cura corpus sepelitur; quod si dominus retinet, funus ei fit imaginarium. — Ratio legis haec fuit, quod heres testamentarius, quem defunctus suo iudicio sibi elegerat, ei ex voluntate eius iusta facturus putabatur, quod non cadebat in heredem, quem lex dabat, non defuncti ultimum iudicium [19]. — Denique haec omnia non ad collegium Dianae, de quo disputamus, solum spectavisse, sed communi iure esse recepta cum indicat, quod significantur magis

---

[17] Cf. Thucyd. I, 126: *ἐν ᾗ πανδημεὶ θύουσι πολλοὶ οὐχ ἱερεῖα, ἀλλὰ θύματα ἐπιχώρια* ubi schol. *θύματα*] *πέμματά τινα ἐς ζώων μορφὰς τετυπωμένα.* Exempla innumera colligere non vacat.

[18] Plin. epist. VIII, 16 *permitto servis quoque testamenta facere eaque ut legitima custodio. Mandant rogantque quod visum; pareo ocius. Suis dividunt, donant, relinquunt dumtaxat intra domum; nam servis resp. quaedam et quasi civitas domus est.* Unde ut hoc obiter notem explicanda sunt quasi collegia intra familiam alicuius domini constituta. Cf. p. 78 n. 25, p. 96 n. 18. Contra collegium Mercurii Or. 2394 ex liberis pluriumque dominorum servis constat, ut cum collegio salutari eiusdem indolis fuerit. Erravit in hac re Dirksen. Abh. l. c. p. 81.

[19] Cf. l. 12 § 4 D. de relig. XI, 7. *Funus eum facere oportet quem decedens elegit; sin de hac re non cavit, scriptos heredes ea res contingit; si nemo scriptus est, legitimos.*

in lege hac quam proponuntur, tum maxime confirmat lapis alius Orell. 2977: „C. Iulio C. l. Fausto immuni intestato, quot ex funere eius superfuit, per Spironte(m) et Dextrum quaestores quartum [20]." Iulius cum collegio alicui funerario adscriptus sine testamento mortuus esset, ex funeraticio cura collegii elatus est, deinde quod ex funere superfuit in monumentum erogatum. Unde confirmatur tum quod hic demonstravimus, tum quod supra monumenta a collegiis posita funeraticiis vindicavimus.

Videamus de funere curando. — Quod si erat heres, cui funeraticium daretur, cura funeris non pertinebat ad collegium, nisi quod collegae qui ad rogum aderant sportulas accipiebant, quae dicebantur exequiarium.

col. I. v. 24. „(Defunctum) sequentur ex arca HS CCCC n., ex qua summa decedent exequiarii nomine HS L. n. qui ad rogus (ita lapis) dividentur. Exequiae autem pedibus fungentur." coll. col. I. v. 32 „deductis commodis et exequiario."

Verba *exequiae — fungentur* quid significent non video, nisi heredem non esse obligatum ut collegis ad rogum venturis rhedam iumentumve subministret; quod simile est legis XII tabularum de in ius vocando. Solos necessarios defuncti ivisse exequias notum est [21], quibus collegas adnumerandos esse apparet. Divisionem illam ad istos praecipue pertinere verbis cautum non est, sed cum in lege collegii heres iuberetur singulos nummos ad rogum dividere de funeraticio deductos, collegarum causa caput hoc receptum esse sequitur. — E diverso cum apud collegium funeraticium remanet, funus faciendum esse defuncto vidimus arbitrio quinquennalis et populi; scilicet cum intra miliarium vigesimum a Lanuvio mortuus est. Nam sepultura eius, qui ultra mill. XX defunctus est, cum commode

---

[20] *Scil. in monumentum insumtum est.* Orelli, recte.

[21] Kirchmann de funer. L. II c. 10.

a collegio universo fieri nequiret, quid tum faciendum sit diligenter ita perscriptum est, ut distinguatur utrum tempestive nunciatum sit necne.

col. I, v. 26 sq. Item placuit: quisquis a municipio [22] ultra milliar. XX decesserit et nuntiatum fuerit, eo exire debebunt electi ex corpore n(ostro) homines tres, qui funeris eius causam agant et rationem populo reddere debebunt sine dolo malo et si quit in eis fraudis causa inventum fuerit, eis multa esto quadruplum. Quibus *sing. numm*us dabitur; hoc amplius viatici nomine ultro citro sing(ulis) HS. XX n.

Sestertius — ita enim videtur legendum — datur pro exequiario, viaticum pro opera et impensis. — Quod si nuntiari non potuit, funeraticium exsolvitur ei qui funeravit, quasi gesserit negotia collegii:

col. I. v. 29 sq. Quod si longius *quam int*ra mill. XX. decesserit et nuntiari non potuerit, tum is qui eum funeraverit, testa*to tabul*is signatis [23] sigillis civium Romanor. VII. et probata causa, funeraticium eius, sa*tis dato ab ei*s neminem petiturum, deductis commodis et exequiario, e lege collegii dari *sibi petat.*

Tria igitur sunt, quae qui funeravit probet faciatve necesse est ante, quam accipiat funeraticium deducto scil. exequiario, quod collegis dandum erat, cum non sua culpa ad rogum non venissent, commodisque aliis fortasse scribae et quinquennali pro exsolutione dandis.

I. se defunctum funeravisse. Quam rem testetur tabulis, quae signatae sunt sigillis civium Romanorum septem [24]. Quae probandi ratio generalis fuit apud Romanos

---

[22] Cic. pro Mur. 41, 90 *date etiam Lanuvio, municipio honestissimo.*

[23] Cardin. *signata* foedo errore, qui diu me vexavit. Suppleri potest etiam *testata re* sive *testatus.*

[24] Cardinali dipl. pref. p. VI n. XIV *i testamenti,* de hac lege

et septem testium nomina apud eos faciebant publicam fidem ut apud nos subscriptio magistratus. Ita in extractibus protocolli, sive ut Latine loquar in documentis descriptis et recognitis semper apponuntur septem testium nomina; cuius rei plurima exempla afferunt tabulae honestae missionis, quas non ipsam honestam missionem exhibere, sed eius apographum neminem fugit. Idem apparet in libello aurario, quem supra vidimus non esse edictum magistri sed descriptum ex eo [25]. Idem Paulus docet de divortio, l. 9 D. de divort. XXIV, 2: *Nullum divortium ratum est nisi septem civibus Romanis puberibus adhibitis praeter libertum eius qui divortium faciet* [26]. Denique Latinus ut ad civitatem perveniret, ex lege Aelia Sentia uxorem se duxisse vel civem Romanam vel Latinam liberorum quaerendorum causa, testari necesse habebat *adhibitis non minus quam septem testibus civibus Romanis puberibus* [27]. Unde fortasse septem testes testamenti quod dicunt praetorium explicandi sunt, quos nunc e quinque testibus mancipationis, libripende familiaeque emtore (sive ut alii volunt antestato) ducere solent; nisi utraque interpretatione coniuncta hunc testandi usum a testamento ad alios actus legitimos translatum facimus, quod videtur rationem habere [28].

---

ait, *dovevano essere signatis sigillis civium R. VII.* At non sigilla signantur, sed testamenta sigillis; neque hoc loco testamenti mentio fieri potuit.

[25] Vide Massmannum § 26, qui quo VII nomina referat ignorat et cogitat de testibus ad actum (proponendi fortasse?) testandum adhibitis.

[26] Qui nunciat, non est testis. Cf. Zimmern Rtg. I, p. 565 n. 30. Iuv. VI, 146 *collige sarcinulas* (i. e. res tuas tibi habeto), *dicet libertus, et exi.*

[27] Gai. I, 29.

[28] Optime hunc usum Romanorum neglectum a ICtis illustraverunt Marinius primus (atti T. II, p. 480 not. 80), post eum Cardi-

II. Requiritur praeterea causae probatio, quae multiplex sane cogitari potest in negotiorum gestione; principaliter spectavisse videtur eo, ut funerator probaret se nunciare collegio non potuisse.

III. Denique desideratur satisdatio funeraticium ab alio petitum non iri, quoniam exsistente herede ex testamento funeris procuratio et funeraticium ad eum pertinebat, ut is qui funeravit sive heredis sive hereditatis [29] negotium gessisset et in eum actionem ad hanc causam proprio edicto propositam, funerariam haberet. Ait Praetor l. 12 § 2 D. de relig. XI, 7: *Quod funeris causa sumtus factus erit, eius reciperandi nomine in eum ad quem ea res pertinet iudicium dabo.* Non sine ratione igitur postulabat collegium cautionem defensum iri adversus heredem ex testamento.

§ 16.

Magister collegii erat quinquennalis, id est in quinquennium constitutus, ministri scriba et viator, qui perpetui videntur fuisse.

col. II. v. 18 sq. Item placuit, ut quisquis quinquennalis in hoc collegio factus fuerit, a sigillis eius temporis, quo quinquennalis erit, immunis esse debebit et ei ex omnibus divisionibus partes dupl*as* dari. Item scribae et viatori a sigillis vacantibus [1] partes ex omni divisione sesquip*las* dari placuit.

Unde emolumenta eorum praeterea edocemur; *sigilla* tamen quid significent ignoro. Vix credibile est quam absurda

---

nali dipl. pref. p. VI n. XIII. XIV et in comm. p. 22—25, quamquam in hac lege eum minime agnovit.

[29] l. 1 D. de relig. XI, 7.

[1] Cum non addatur *eius temporis quo* etc. in tempus vitae fuerint necesse est.

Rattius hic excogitaverit, *vacantibus* non cum *scribae et viatori* sed cum *sigillis* coniungens et hariolans de *sigillis vacantibus*. Equidem non dubito, quin *immunem esse a sigillis* sive *vacare a sigillis* ad collationem stipis menstruae pertineat, qua eximerentur qui pro pecunia officium sodalibus praestabant. Sed *sigilla* simili significatione usquam legi non memini, nisi forte in hoc anathemate invento in Pannonia Orell. 2395: *Deo Mercurio Iulius Certus censor sigillorum collegii ligniferorum cultorum eius de suo dedit* [2]. Quod obscurius etiam est. Fortasse in stipis menstruae collatione ut taedium apocharum innumerabilium evitaretur, tabulae ceratae sigillum collegii imprimebatur, quod solutionem factam esse significaret; unde sigillum dici ipsam stipem in usum venerit. Sed coniecturas omittamus; praestat adnotare divisiones in collegiis ut in municipiis ita fere esse institutas, ut honestiores amplius aliquid acciperent. Unde lux offunditur lapidi ap. Orell. 4075: „collegio — HS X milia n. reddedit, quae divisa sunt populo *per gradus collegi n(ostri)* [3]." — Ad quinquennalem haec quoque lex pertinet col. II. v. 22: „Item placuit ut quisquis quinquennalitatem cesserit (l. gesserit) integre, ei ob honorem partes ses*qui*plas ex omni re dari; ut et reliqui recte faciendo idem sperent."

De cenis collegii iam agendum est, quae accurate a conventibus distinguuntur:

col. II. v. 24. Item placuit, si quis quid queri aut referre volet, in conventu referant, ut quieti *et* hilares diebus sollemnibus epulemur.

ut plus semel in eodem mense collegium epulari potuisse

---

[2] cf. Murat. 27, 4 *Soli deo invicto sacrum. Feronius censor signi v(ota) s(olvit) l(ibens) m(erito).*

[3] Cf. Grut. 354, 1 *honoribus omnibus per gradus functus.* Spon. misc. p. 56. Apuleius Met. L. X, p. 711 Oud. *gradatim permensis honoribus quinquennali magistratui fuerat destinatus.*

dicendum sit. Et re vera in *ordine cenarum* duae incidunt in Augustum mensem, scil. in Idus Aug. et XIII. K. Sept. Ita confirmantur quae supra [4] de hac re dixi. Cura cenarum pertinet ad magistros cenarum, quos ne putes magistratu collegii fungi; erat onus omnibus sodalibus ex ordine albi subeundum, ut singuli in annum id sustinerent.

> col. II. v. 8. Item placuit, quisquis magister suo anno erit ex ordine a*lbi* ad cenam faciendam, et non observaverit neque fecerit, is arcae inferet HS XXX n. *et* insequens eius dare debebit et is eius loco restituere debebit.

> col. II. v. 15. Magistri cenarum ex ordine albi facti q*uo* ordine homines quaterni ponere debeb*unt*: vini boni amphoras singulas, et panes a(ssium) II. qui numerus collegii fuerit, et sardas *nu*mero quattuor, strationem, caldam cum ministerio.

Bonus Ratti cogitavit de magistro albo facto, quasi dealbatus, non albatus magister procederet. Sed notissima sunt alba municipiorum, vide si vacat, tit. D. *de albo scribendo* (L, 3); neque collegiorum obscura, quorum non pauca in lapidibus habemus. Ceterum pleraque in his verbis interpretationem desiderant. *Homines quaterni* soloece scribitur, cum *homines quaternos* scribendum fuisset, ut supra *ad rogus*. Ita lecti in triclinio significantur quid singulis tribuendum sit. Plerumque enim quaterni in lectis accubabant [5]. *Calda* a stratione separanda est; significat aquam calefactam, quam antiqui medicamentis scilicet dulcibusque mixtam potare solebant. Vide G. Chr. Gebaueri librum singularem de caldae et caldi apud veteres potu [6], unde unum locum adscripsi ex plurimis ibi non

---

[4] p. 88.

[5] Horat. Sat. I, 4, 86 *saepe tribus lectis videas cenare quaternos.* Cic. in Pis. 27, 67. Lips. antiquae lectt. L. III c. 1.

[6] Lips. 1721. 8.

sine elegantia aliqua congestis Mart. VIII, 67:

Curre, age, et illotos revoca, Calliste, ministros;
Sternantur lecti; Caeciliane, sede.
Caldam poscis aquam; sed nondum frigida venit,
Alget adhuc nudo clausa culina foro.

De *ministerio* ita Paullus noster ait S. R. L. III tit. 6 § 86: *Vasis argenteis legatis ea omnia continentur quae capacitati alicui parata sunt, et ideo tam potoria quam escaria, item ministeria omnia debebuntur; veluti urceoli, paterae, lances, piperatoria, cochlearia quoque itemque trullae, calices, scyphi et his similia.* Ministeria igitur sunt vasa quibus in conviviis ministratur, ut cum escaria et potoria tum alia omnia hoc generali vocabulo comprehendantur [7]. Quid vero dicemus? num nihil accepisse sodales nisi panem, vinum, caldam sardasque? Ita visum est Rattio; sed coetum instituere ad non epulandum videtur huic aevo relictum esse. Res explicanda est ex sportulis. *Sportulae* proprie sunt fiscelli, quibus populus dapes in publicis viscerationibus acceptas imponere domumque referre solebat; translate ita dicuntur nummi pro carnibus istis dati. Ita igitur largitio ea fiebat, ut acceptis sive cibis praestantioribus sive pretio eorum suae quisque domi epularetur, quae reliqua erant ad cenam instruendam, panes vinum ὀψώνιον ipse suo sumtu apponeret. *Sportulis* nunquam contineri panem vinum iam ex eo intelligitur, quod in collegio Aesculapii pleraeque divisiones, ut prid. Non. Nov., VIII Kal. Mart., ita institutae erant, ut in iis *sportulae,*

---

[7] Vide Schultingium, qui ad h. l. multa egregie congessit ex scriptoribus hist. Aug. aliisque, unde etiam Graece *διακονίαν* dici disces; adde Crameri notam ad Schol. Iuv. p. 101, ubi ad verba Iuvenalis III, 203 de homine pauperrimo: *urceoli sex, ornamentum abaci* scholiasta notat: *ornamentum abaci quod nos delficam dicimus,* melius glossa antiqua: *abaci delficae — μινιστέριον ὡς Ἰουβενάλιος,* quam Cramerus temere corrupit.

panis et vinum dividerentur [8]. — Deinde cum ii qui simul lautia acceperant, communiter iis frui epularique cuperent, factum est, ut aliquis ex collegio, sive is qui dederat sive alius, si cibi distributi erant, cibos omnium pararet, si nummi pro dapibus, acceptis iis epulum instrueret, pro pane vino autem insuper modicam pecuniam acciperet, nisi eo liberalitatem suam demonstraret, quod panem vinum adiiceret gratuitum. Sportulas semper pro cena esse, non praeter cenam dari, plurima sunt, quae probent. Ita eo pertinet, quod in collegio Aesculapii sportulae ea conditione dividebantur, *ut qui ad epulandum non convenissent, sportulae et pane(s) et vinu(m) eorum venirent et praesentibus divideretur, excepto eorum qui trans mare erunt vel qui perpetua valetudine detinetur.* Sane non cogebantur qui aderant ibi cenare, sed domum redire licebat sportulis acceptis. — In eadem lege aut cena promittitur aut sportulae: *Pr. Id. Mart. eodem loco* [9] *cenam, quam Ofilius Hermes q(uin)-q(uennalis) omnibus annis dandam praesentibus promisit vel sportulas, sicut solitus est dare.* — Ita Orell. 3949: *ob statu(a)e dedicationem dedit iuvenibus — HS XXX n. adiecto pane et vino epulantibus*, id est iis, qui ex pecunia in praesenti epulari malebant quam domum eam referre, etiam panem vinum adiecit. Omnino argumenta colligere quae sponte ubivis prodeunt supervacaneum est, praesertim cum Marinius solita doctrina plurima collegerit [10], quanquam hoc fecit, ut contrarium probaret, nempe sportulas non pro epulo dari, sed ad epulum adiici. Plena refutatio eius ab hac scriptione aliena est, quod doleo; ubi enim cum Marinio res est, non est temere contradicendum. De sin-

---

[8] cf. Orell. 2385 *panem vinum et sportulas dedit.*

[9] In schola collegii sive Aesculapii aede, cuius signum marmoreum ibi positum commemoratur, ubi collegium epulabatur, magistro collegii, ut videtur, cenam curante.

[10] atti p. 398.

gulis lapidibus, quibus suam opinionem defendit, certare non vacat; eos proposuisse sufficiet, qui maxime nobis videntur officere. In lapide Pisaurensi: *sing. HS n. XXXX adiecto pane et vino cum epul. dedit*, epul. non significat *epulo*, sed *epularentur*. In alia inscriptione *cenam dedit, decurionibus sing. HS VIII numum et populi sing. HS II numum divisit*, utrumque beneficium separandum est neque necessario ad idem tempus trahendum. Formulam „epulum binos denarios dare" interpretor *id est binos den.*, ut sint II denarii, unde epulentur. Denique quod scriptum est in actis fratrum Arvalium tab. XLI b. v. 19: „mensa secunda bel*lariorum divisa est*, *et coronas* unguenta et sportulas acceperunt singuli X C. Hoc anno cenatum es*t a singulis* dies singulos X C." eo ipso quod sportularum et impensarum summa concurrit, non obscure indicatur remansisse illas apud magistrum fratrum Arvalium, in cuius domo cenaverant.

Ita re cognita si ad legem collegii salutaris redimus, idem in ea cautum esse invenimus. Quae ad cenam requiruntur praeter epulas, a magistro cenae de suo praestantur; epularum impensae unde venerint diserte quidem non proditur, etsi divisiones memorantur, sed elucet ex his locis inter se compositis:

col. I. v. 1 sq. *L. Ceionio* Commodo Sex. Vetuleno Civica Pompeiano cos. a. d. V Idus Iun. *Lanuvii in municipio in t*emplo Antinoi, in quo L. Caesennius Rufus *dict. III et patronu*s municipii conventum haberi iusserat per L. Pompeium . . . . um [11] QQ. cultorum Dianae et Antinoi, pollicitus est se *in annum d*aturum eis ex liberalitate sua HS XV. M. n. usum . . . . [12]

---

[11] Cave cum Rattio suppleas *duumvirum;* cognomen intercidit. Duumviri collegiorum non inveniuntur in inscriptionibus genuinis.

[12] Utrum lacuna sit an spatium vacuum, ex tabula non apparet; sententia tamen videtur perfecta.

die *natalis* Dianae Idib. Aug. HS. CCCC n. et die natalis Antinoi V. K. *Decemb.* HS. CCCC n.

Dedit igitur non ipsam sortem, sed usum pecuniae, ut quotannis DCCC n. usurarum nomine collegio penderet. Quod saepe factum videtur, l. 10 D. de pollicit L, 12: *Septicia certamen patriae suae pollicendo sub hac conditione pollicita est, uti sors apud eam remaneat et ipsa usuras semissales ad praemia certantium resolvat, in haec verba* etc. Cum illo capite iungendum est alterum:

col. II. v. 11. Ordo cenarum: VIII. Id. Mar. natali Caesenni . . . patris. — V. K. Dec. nat. Ant*inoi*. — Idib. Aug. natali Dianae et collegi. — XIII K. Sept. na*tali Caes*enni Silvani fratris. — Pr. N . . . natali Corneliae Proculae matris. — XIX K. Ian. n*atali Caes*enni Rufi patr. munic.

Deinde versus vacuus relictus est, ut aliis liberalitatibus locus esset. — Iam dubium non est, quin natalibus Dianae et Antinoi sportulae ex CCCC nummis his diebus a Caesennio solvendis datae sint; natalibus vero Caesennii et propinquorum eius sportulae nullae datae videntur sed cenae ipsae, sodalibus a Caesennio domum invitatis, ut dies festos secum hilares celebrarent.

Cenae illae solemnes, ut fieri solebat apud Romanos, ad rem divinam non minus quam ad epulandum spectabant:

col. II. v. 30. Item placuit ut quinquennalis sui cuiusque temporis diebus sollemn*ibus ture* et vino supplicet et ceteris officiis albatus [13] fungatur, et die*bus natalium* Dianae et Antinoi oleum collegio in balinio (scr. balineo) publico po*nat*, *antequam* epulentur [14].

---

[13] De usu togae albae diebus festis v. Marini atti p. 533.

[14] cf. Grut. 322, 4. Marini inscr. Alb. p. 60 *haec sola omnium feminarum diebus ludorum et epuli viri sui balneum cum oleo gratuito dedit,* ubi videas Marin. Boeckh. C. I. 2906 *ἐπηγγείλατο — ἀλείψειν δι' ἐνιαυτοῦ πολίτας ἅπαντας καὶ τοὺς ἐφηβευκότας τῶν παροίκων καὶ Ῥωμαίους ἅπαντας.*

Notabiles sunt natales Dianae, Antinoi, collegii in hac tabula hic et in ordine cenarum nominati. Natalis collegii memoratur quoque in lege coll. Aesculapii „XIII. K. Oct. die felicissimo n(atali) Antonini Pii n(ostri) — — pr. non. Nov. n(atali) collegi." Primum cogitabis de die quo collegium constitutum est, sed falso: col. I. v. 8 „*M. Antonio Hibero* P. Mummio Sisenna cos. K. Ian. collegium salutare Dianae et Antinoi constitutum, L. Caesennio L. f. Quir(ina) Rufo dict(atore) III [15] idemque patr(ono)". In quo explicando haerenti mihi lucem attulit lapis nuper inventus Oppidi [16] unde quae huius loci sunt appono. „Silvano sacrum voto suscepto pro salute Domitiani Aug. n. — L. Domitius Phaon ad cultum tutelamque et sacrificia in omne tempus posteru(m) iis qui in conlegio Silvani hodie essent quique postea subissent (fundos IV) suos attribuit sanxitque ut ex reditu eorum fundorum Kal. Ianua(r), III Idus Febr. Domitiae Aug. n(ostrae) natale [17], et V. Kal. Iulias dedicatione Silvani, et XII. K. Iulias Rosalibus [18], et IX. K. Novembr. nata(le) Domitiani Aug. n. sacrum in re praesenti fieret convenirentque ii qui in conlegio essent ad epulandum curantibus suis cuiusque annis magistris." *Magistris curantibus* qui ad *epulandum* refert, accipiet de magistris cenae, qui refert ad *convenirent*, de magistris collegii, qui et annales et quinquennales saepe inveniuntur; mihi illud verius videtur, quoniam sodales non cogebantur coire, sed praesentes tantum cenabant. — Ex hoc lapide dedicationem eius dei, a quo nomen duxisset collegium, solemni epulo annalique celebratam esse intelligitur. Neque

[15] Lanuvii dictatorem fuisse ex oratione pro Milone notum est, c. 10, 27. 17, 45.

[16] Est apud Guarinium varii monum. (Nap. 1835. 8) p. 12 sq.

[17] Est casus sextus ut v. c. Orell. 4132.

[18] Alterum exemplum est epulorum duorum pluriumve in eundem mensem incidentium.

aliud indicare videntur natales illi Dianae et Antinoi, cum *natalis collegii* idem sit, quo Diana nata esse fertur sive simulacrum eius, quae primos honores habebat a collegio, in aedem illatum est; quo facto natus Deus dicebatur. Quot enim templa tot Deos fuisse ex Romana religione supra iam diximus [19]. Natalis autem collegii non idem est ac dies quo constituebatur collegium; collegium enim etsi antea constitutum erat, tamen tum primum vere natum se credidit, cum Deam suam templumque dedicasset. An genii deorum, quos cum fabulis Graecis de deorum natalibus composuit acutissimus Marinius [20], natalibus istis praecipue culti sint, nostris legibns non edocemur; neque magis apparet dies natalis Antinoi utrum de vero aliunde nobis non comperto an de die dedicationis accipiendus sit.

Restant capita de mulctis, si quis inter cenam tumultuatus sit:

col. II. v. 26. Item placuit, ut quisquis seditionis causa de loco in alium locum transierit, ei multa esto HS. IIII. n. [21]. — Si quis autem in obprobrium alteralterius dixerit aut tu*mul*tuatus fuerit, ei multa est HS.

---

[19] p. 7. Non opus igitur est ut ad Graecas fabulas de Apollinis et Dianae natalibus confugiamus.

[20] atti p. 368, quem si Orellius attendisset, nunquam dubitavisset de deorum geniis (ad n. 1730). Notabile inprimis a fratribus Arvalibus Deae Diae duas boves, Iunoni Deae Diae oves duas simul immolari (tab. XXXII). Iuno feminae est qui genius viro. — Ad genium igitur collegii, de quo conferendus est Orelli 178. 1710 sq. 2661. 4916 al., natalis eius non videtur spectare, nisi (Orell. 4122 *sancto Deo Silvano genio collegi Zeunitorum* adhibito) ipsum Deum collegii genium eius facies. Commemoratur etiam simulacrum genii Card. dipl. p. 58 n. 80, coll. p. 230 n. 442. — Cf. etiam Schoemannum de diis man. Gryph. 1840 p. 22 alia minus probabilia defendentem.

[21] In *νόμῳ ἐρανιστῶν* Boeckh. C. I. 126: *εἰ δέ τις μάχας ἢ θορύβους κεινῶν φαίνοιτο, ἐκβαλλέσθω τοῦ ἐράνου, ζημιούμενος* . . Reliqua corrupta sunt.

XII. n. — Si quis quinquennali inter epul*as* obprobrium aut quid contumeliose dixerit, ei multa esto HS. XX. n. [22].

Haec fuerunt quae ad hanc legem illustrandam facere posse videbantur. Commentarius meus ne iusto uberior videatur non vereor; sunt enim si quid video in hac lege non solum nova quaedam neque inutilia neque iniucunda, sed etiam cum sit desumpta ex media vita communi, quod raro admodum usu venit in rebus antiquis tractandis, vividam imaginem rationis indolisque collegiorum apud Romanos nobis proponit. Quod cum viderem, primum in calce huiusce libelli eam adiicere constitui, ut copia eius, quae mihi facta erat Iahnii nostri singulari humanitate, lectoribus etiam esset; supplementis tantummodo additis, quae a Rattio aut nulla [23] aut perversa proponuntur. Quae etsi maximam partem ita sponte se offerebant, ut fuisse qui in ea re erraret mirareris, tamen quaedam postulare videbantur, ut rationem redderem cur ita scripsissem; quibus positis alia requirebantur et insinuabant se inter scribendum, quae omittere volueram. Ita notulae in commentarii vicem excreverunt.

Exposuimus ita de collegiis licitis vel illicitis sub imperatoribus, praesertim funerariis; neque quicquam de hac re addendum videtur, nisi apud Graecos quoque reperiri collationem stipis menstruae in collegiis. Harpocration s. v. ἐρανιστής: κυρίως ἐστὶν ὁ τοῦ ἐράνου μετέχων καὶ τὴν φορὰν ἣν ἑκάστου μηνὸς ἔδει καταβάλλειν εἰσφέρων. quem Casaubonus [24] sine iusta causa erroris accusat, in eranis contendens non singulis mensibus, sed quotiescunque res adversa amicorum postularet, collationem institutam esse. Recte, quantum video, in libro Meyeri et Schoe-

---

[22] Ratti XX. M. Videtur sphalma typographicum.

[23] Ita e. g. scripsit: *in tetra Antinoi parte interiori* quasi nihil deesset.

[24] ad Theophr. char. p. 283.

manni [25] ἐράνων duo genera distinguuntur, quorum alterum comprehendat consociationes ideo institutas, ut rebus incendio aliove quo casu afflictis socius a sociis stipem petendo amissa quodammodo recipiat; alterum collegia quae coeant ad epula communibus sumtibus simul celebranda semel in mense. Ex his collegiis δεῖπνα ἀπὸ συμβόλων fuisse putant. Consociationes illae Romanis non ignotae videntur fuisse; imo quae de amicis incendium passis Iuvenalis et Martialis ludunt, ad eas pertinent [26]. A nostro autem proposito alienae sunt; non enim collegiorum formam sunt adeptae. Alterius generis collegia propius ad Romana accesserunt; fortasse quae Harpocration tradit de collatione menstrua, ex SCto supra illustrato explicanda sunt, quod ad provincias translatum esse vidimus. Omnino Graecorum collegia, qualia cognoscuntur in lapidibus, plane diversam naturam habent ac Romana; pauca collegia opificum inveniuntur, nulla quantum vidi funeraticia; quae nominantur, plerumque sacra sunt, inprimis in rebus Dionysiacis occupata. Non pauca eorum ex gentibus orta sunt. Instituta saepe diversa sunt, nonnunquam eadem. Utique res collegiaria Graecorum minoris momenti fuisse videtur, quam fuit Romana.

---

[25] att. Process. p. 540 sq. Holstii commentario de eranis vett. Graec. Lugd. Bat. 1832. 8. carui invitus. Rasmussen περὶ τῶν ἐράνων. Hafn. 1833. 8. de solis eranis apud Homerum disputat.

[26] v. supra p. 90 n. 8.

CAP. VI.

DE IURE COLLEGIORUM.

§ 17.

Saepius diximus de collegiorum ratione, sed ut res ferebat, modo hanc modo illam partem illustravimus neque summam rem uno tractatu proposuimus. Nos quamquam aegre immoramur periculis definiendi, collegiique definitionem difficillimam esse cognovimus experti, tamen omittere noluimus, quae re non semel perpensa perspexisse nobis videbamur; eaque commode huic capiti, quod perfecta collegiorum enarratione ius privatum eorum complectetur, praemitti censebamus.

Collegium instituitur ad exemplum municipii, qua in re tota eorum natura conclusa est. Cernitur ea imitatio in minimis etiam; ita quod nemo nescit, tres facere collegium, cum duo societatem faciant, inde repetendum est. Nam respublica requirit multitudinem, id est tres pluresve. Idem suadet usus loquendi, qui collegiis attribuit rem publicam, non societatibus ne publicis quidem [1]. Deinde, quod supra proprium esse collegiorum diximus, ut habeant causam perpetuam [2], ex eodem fonte ductum est; res publica enim nulla ad diem constituitur. Est contra naturam, ei quod rei publicae vicem habet, in ipso initio ter-

---

[1] p. 85. p. 120 n. 5.
[2] p. 39. 85.

minum ponere, quo dissolvatur. Quod denique unum restat, facile gravissimum est; nam etsi consociatio, quae causa perpetua careat, nunquam sit collegium, tamen societatem quoque ex causa perpetua coire posse qui negaret, quotidiana experientia refelleretur. — Quae sunt reipublicae, non sunt pro parte civium, sed ipsius communis consilii, quod sine persona ne cogitari quidem potest. Collegium id quoque imitatur, sed cum extraneis legem ferre non possit, obtinet quasi medium locum inter societatem et civitatem. Ut enim civitas a civibus pro persona haberi iure desiderat, ita collegium a collegiatis; qui in collegio non sunt, id pro societate habent. Ita fit, ut iure non distent collegium et societas, ius enim ab illo non constituitur; sed differunt cogitatione, qua socii quaque collegae commune consilium contemplantur. Arcam communem habet et societas et collegium, neque aliud agunt utrique nisi ut commoda quam maxima sibi comparent; sed socii id ipsum sperant, ut aliquando auferant partem lucri communi opera quaesiti; collegiati vero quod sequuntur commodum, non est pars arcae communis, sed emolumentum aliquod inde ad eos redundans. Itaque arca sociorum non est nisi coniunctio arcarum aliquot privatarum, arca collegii una est neque intelligitur divisa, etsi iure sit; unde qui recedit a collegio, non accipit partem eorum, quae collegium quaesivit ne tum quidem, cum collegium persona careat, nam cum intraret, collegium, quantum in se esset pro persona habiturum se indicavit iurique suo tacite renunciavit.

Iam accuratius, opinor, intelligitur, quo pacto collegium cum iure personae coniunctum sit; nam adversus collegiatos semper personam habeat necesse est, adversus alios eam habere potest, sed potest etiam non habere, ut societas, licet adversus socios nunquam personae loco sit, tamen adversus extraneos eam potest adipisci [3]. Neque

[3] Ne Savigny quidem nostrae artis lumen diversum esse ius

ignoramus diu collegia sine persona fuisse; sed quanta facilitate et quasi quadam necessitate eam receperint, ex indole eorum coniici potest, ex historia supra proposita intelligi. Quanquam initia ut fit obscura sunt. Cum pleraque collegia, quae publicam utilitatem haberent, ad respublicas applicata essent earumque persona uterentur, primum videntur personam accepisse societates publicae, quae sine persona negotia sua vix recte perficere possent. Societates cum persona commemorantur inde a Varrone Ciceronis amico; de l. Lat. VIII, 83: *nomina habent ab oppidis plerique libertini a municipio manumissi; in quo ut societatum et fanorum servi, non servarunt proportione* (scr. *proportionis*) *rationem.* Adde, si placet, priscam scripturam in titulo P. Monetii societatis monetalis liberti, quem supra p. 85 retulimus. Utut vero incepit personae attributio, mox eo perventum est, ut ubicunque collegii societatisve utilitas evidens erat, ius personae accedere debere censerent. Quod quo tempore receptum sit, ignoramus; sed ea re factum est, ut ius personae coniungeretur cum collegiis licitis omnibus. Ut enim antea ea collegia societatesque, quae publicam auctoritatem haberent, publicam utilitatem habere videbantur iureque personae potiebantur, si quidem id collegiis attribui iam tum inceperat: ita postea, cum nullum collegium constitueretur nisi publica auctoritate, omnibus personam concedi iuris ratio postulabat. Utinam aliquando ea quae apud Romanos fuisse docuimus, a nobis recipiantur! Hodie quoque societates publicae iura personae quam maxime requirunt et clara voce flagitant; sed timida nostra prudentia privilegia a rege impetrata nescit ita interpretari, ut usus communis exposcit. Genuino iure Romano libentissime uterentur mercaturae operam dantes, qui nunc cum eo naturales quasdam inimicitias sibi esse opinantur.

---

coeundi et ius personae eorumque coniunctionem non ex natura eorum fluxisse intellexit. Vide eius Syst. II, 258.

Vidimus, qua ratione collegia adepta sint ius personae; nunc ad ius conversi id firmabimus. Personam disertis verbis agnoscit l. 22 D. de fideiuss. XLVI, 1. *Hereditas personae vice fungitur sicuti municipium et decuria et societas* [4]. Quamquam minora quaedam erant, quae collegiis adhuc non erant concessa. — Quod si quaerimus, qua ratione collegia eo pervenerint, ita Digesta respondent.

> l. 1 § 1 D. quod cuiusc. III, 4. „Quibus permissum est corpus habere collegii, societatis sive cuiusque alterius eorum nomine, proprium est *ad exemplum reipublicae* habere res communes, arcam communem et actorem sive syndicum, per quem *tanquam in republica* quod communiter agi fierique oporteat, agatur fiat." cf. l. 31 D. de furt. XLVII, 2. „Si quis tabulas instrumentorum reip. municipii alicuius surripuerit Labeo ait furti eum teneri. Idemque scribit et de ceteris rebus publicis [5] deque societatibus."

Ut igitur universa collegiorum forma exacta est ad exemplum municipiorum, iura privata quoque acceperunt eorum exemplo. Quod a quo tempore inceperit, ne ICti quidem produnt, etsi vestigia sunt, quae id ad veteres qui proprie dicuntur in Digestis revocandum esse suadeant [6]; certe rerum acquirendarum obligationumque iura aliquando collegiis

---

[4] cf. l. 10 § 4 D. de in ius voc. II, 4. l. 2. 7 § 1 D. quod cuiusc. III, 4. l. 1 § 15 D. ad SCtum Trebell. XXXVI, 1. l. 1 D. de manumiss. quae serv. ad univ. XL, 3.

[5] Cum rempublicam haberent collegia, *populus* etiam et *plebs* collegii (infra p. 123. al.) inveniuntur; quin *ordinem* collegiorum habemus, ut municipiorum (Grut. 126. 1077. Visconti opere var. II, 56 Orell. 2417. 2625. 4115). Sed differt, quod in municipiis plebs extra ordinem est neque in albo scribitur, in collegiis vero ordinis albique pars est; ordo enim ubique sunt ii, qui universitatem regunt. Ius decernendi vero cum in municipiis auferretur civibus, in collegiis universis collegiatis remansit; ita Orell. 3097: *cui populus eius corporis immunitatem decrevit.* Lex coll. Dian. II. 2.

[6] Nam Labeo de *ceteris* rebus publicis scripsit.

defuisse arguunt supra p. 36 sq. proposita. Fortasse quibusdam collegiis liberis adhuc civibus rempublicam habere concessum est, quam postea, cum collegia sine publica auctoritate institui desiissent, omnibus collegiis licitis attribuerunt, ut diximus, Imperatores; qua ratione ius hereditatum acquirendarum acceperunt.

Ius collegiorum minus apte separatim explicatur; in summa enim non multum differt in privatis negotiis a iure ceterarum universitatum, quod plene tractavit Dirksenius in libro docto sane et laborioso: *über den Zustand der jurist. Personen nach römischem Recht.* Quod vero ex iure populi Romani aliarum universitatum iura colligere nunquam dubitavit, non minime imminuit egregii libri utilititatem. Populus enim plena iura privata nullo privilegio adeptus est, sed suo iure semper habuit. Ne municipiis quidem, quae ex foederatis civitatibus originem cepisse notum est, ius privatum datum est privilegio, sed relictum ademto iure publico. Nunc de singulis videamus. — Res communes, arca communis collegii memorantur a Gaio l. 1 § 1 *quod cuiusc.* et alibi saepissime, praesertim in inscriptionibus [7]. Dona quae sodalibus sacrorum collegiorum offerebantur, plerumque dedicabantur *Deo et collegio eius*: Grut. 35, 5. „Soli invicto et sodalicio eius". Orell. 1223. „Iovi O. M. et collegio [8]". Inveniuntur etiam servi collegiorum [9], l. 25 § 1 D. de acqu. heredit. XXIX, 2.: *servus municipum vel collegii vel decuriae.* Orell. 2886: *Eutyches collegi magni Larum et imag. — Antonini — Aug. ser. actor.* [10]. Ius manumittendi collegiis a D. Marco

---

[7] l. 3 pr. h. t. XLVII, 22. l. 93 § 4 de leg. III. Orell. 3913. Dirksen l. c. p. 127.

[8] Alia exempla habet Marinius atti p. 95 a.

[9] Notissimi sunt fanorum servi Varro de l. l. VIII, 83. sed vide supra p. 38.

[10] Unicum quod noverim exemplum in lapp. servi collegii.

(CLXIX—CLXXVI p. Chr.) primum tributum est [11]; cf. cit. l. 1 D. de manumiss. quae serv. ad univ. XL, 3. l. 25 § 1 cit., l. un. de lib. universit. XXXVIII, 3, ubi rubricam attendas; in titulis vero Orell. 2461. *T. Velatius accensorum velatorum l. Ganymedes* [12], Fabr. p. 632, 276. *P. Monetius soc. l. Philogenes*, Orell. 3019. *Fabricius Centonius collegiorum lib. Chresimus* [13], Orell. 3020. *L. Avilio Galatae fact. russ. lib.* — Neque carebant iure patronatus, l. 2 D. de manum. quae. serv. XL, 3: *Quare hi quoque legitimam hereditatem sibi vindicabunt.* l. 10 § 4 D. de in ius voc. II, 4. *Qui manumittitur a corpore aliquo vel collegio vel civitate, singulos in ius vocabit, nam non est illorum libertus; sed reipublicae honorem habere debet.* Denique neque possessio neque usucapio negatur collegio, l. 7 § 3 ad exhib. X, 4: *Et possidere et usucapere posse (municipes) constat, idem et in collegiis ceterisque corporibus dicendum erit;* quanquam diu de hac re variaverunt ICti et adhuc contrarium sensit Nerva filius, qui pater erat Imperatoris, l. 1 § 22. l. 2 D. de acqu. poss. XLI, 2. — Memorabile est instrumentum mancipationis quod ad collegium aliquod spectat:

Orell. 4974 [13]. Locus sive is ager est, qui est in via Appia — — — in praedis Iuliaes Monimes et sociorum, locus, in quo aedificata est schola sub por(ticu) consacrata Silvano et collegio eius sodalic(io), mancipio

[11] Quanquam iam a Varrone (v. supra p. 119.) societatum liberti nominantur. Qua de re vide Savigny Syst. II, p. 286. 287.

[12] Nota nomen a collegii appellatione ductum ut saepe in municipiorum libertis. Idem apparet in P. Monetio, societatis monetalis liberto. Varro L. L. VIII, 83.

[13] Orellio suspecta est; et mira sunt duo nomina unius hominis, quae et in uxore *Fabricia Centonia Arethusa* apparent. Potest tamen defendi.

[14] cf. eiusdem anal. epigraph. in ind. lect. Turic. aest. 1838. (Tur. 4) p. 46.

acceperunt [15] immunes et curator et pleps universa collegi eius de Iulia Monime et socis eius sestertio nummo uno donationis causa, tutore C. Memio Orione Iuliaes Monimes, et ad eum locum itum actum aditum ambitum. Sacrificia facere, vesci, epulari ita liceat quandus is collegius staterit.

Mancipio accepisse omnes sodales coniunctim, permira res est neque cum antiquo mancipandi usu conciliari potest [16]. Sed haec formula posterioribus temporibus semper in donationibus ponebatur, etsi nulla mancipatione intercedente, ut inania verba tum quoque usurparentur, cum mancipatio ne cogitari quidem posset. Idem plane in stipulatione usu venit, quod discimus ex reliquiis cautionis ap. Spon. misc. p. 70, ad collegium aliquod sine dubio referendae.

. . . . . . m nomine concordia . . . .
. . . . . . ciat X D unden in locum . . . .
si facta non fuerint, eadem condicione sequantur *aliud collegium.*
. . . . . . Stipulatus est T. Flavius . . . .
spopondit curator et populus. Poena autem in ea*m* *rem esto, ut si quod cautum est om*issum fuerit, collegium poena teneatur ut etc.

Quod attinet ad ea, quae mortis causa capiuntur, D. Marcus, qui idem collegiis manumittendi potestatem dedit, permisit eis legata accipere, quod Nerva Imp. dederat municipiis [17].

---

[15] Sententia requireret: locum (om. altero *locus*) mancipio acceperunt.

[16] Actus enim legitimi collegiorum per actorem fiebant. Dirksen l. c. p. 128. Cf. l. 1. in f. D. de acqu. poss. *uni enim consentire non possunt.*

[17] Ulp. XXIV, 28. Glück Comm. XXXIX, 429—432. Dirksen l. c. p. 133. 140., qui civitati legatum per vindicationem Plinii tempore dari nondum potuisse efficit ex verbis eius epp. V, 7. *nec heredem institui nec praecipere posse remp. constat*, miro errore; loquitur enim Plinius de legato per praeceptionem, quod neminem capere posse nisi heredem institutum omnes norunt. — De fideicommissis v. eundem Dirksen. p. 131.

l. 20 D. de reb. dub. XXXIV, 5. *Cum senatus temporibus D. Marci permiserit collegiis legare, nulla dubitatio est, quod, si corpori cui licet coire legatum sit, debeatur; cui autem non licet, si legetur, non valebit, nisi singulis legetur; hi enim non quasi collegium sed quasi certi homines admittentur ad legatum* [18]. Legatorum collegiis datorum exempla frequentissima sunt; ita legatum collegio fabrorum relictum l. 93 § 4 de leg. III [19] et in permultis lapidibus, quae legata plerumque sub modo dantur. Ita Grut. 322, 4: „Caput ex testamento Cetraniae Severinae. Collegiis dendrophororum, fabrum, centonariorum munic. Sassi(natis) HS. sena milia n. dari volo fideique vestrae collegiali committo, uti ex reditu HS. quatern. m. n. omnibus annis — — oleum singulis vobis dividatur sqq." — Multo maiorem difficultatem habet institutio collegii loco heredis. Nam de legitima hereditate ab intestato, quae in collegio cogitari non potest nisi ex iure patronatus [20], nunquam dubitatum videtur, ex quo collegio manumittere permissum est. — Hereditatem autem ex testamento ne municipia quidem Plinii Secundi (v. not. 17) et Ulpiani (XXII, 5) tempore capere poterant, ut multo magis idem de collegiis obtineret. Quo iure cum civitates postea ab Imperatoribus afficerentur [21], nihilo magis collegia admissa sunt, l. 8 C. de her. inst. (a. 290): *Collegium si nullo speciali privilegio sub-*

---

[18] Nam ratio iuris, propter quam collegio illicito legatum non dabatur iis, qui mortis tempore in collegio erant, ea erat quod incertis personis legari non potuit. Gai. II, 238.

[19] cf. l. 9 § 5 D. de iur. et facti ign. XXII, 6. l. 1 C. de Iudaeis I, 9. Dirks. p. 141. Fideicommissum templo datum habemus in l. 20 § 1 D. de ann. leg. XXXIII, 1., collegio templi in l. 38 § 6 D. de leg. III. XXXII.

[20] Posterioribus temporibus collegae interdum in bona sodalis defuncti succedebant ab intestato, de qua re vide Dirks. p. 99.

[21] l. 12 C. de her. inst. VI, 24. Glück l. c. p. 434 n. 53. Dirks. l. c. p. 139.

nixum sit, hereditatem capere non posse dubium non est. Neque Iustinianus in const. de incertis personis [22] quidquam mutavit, nisi quod hereditatem iis, qui in collegio tempore mortis invenirentur, aequis partibus distribuendam esse praecepit. — Sed etsi collegia suo iure hereditatem capere non potuerunt, erant tamen quaedam exceptiones; collegium heres exsistere potuit

I. ex speciali privilegio l. 8 C. cit. Quo ex parte saltem referri possunt Dii qui secundum Ulpianum (XXII, 6) heredes institui possunt [23], formula dedicationis *Deo et collegio eius* collata.

II. ex testamento liberti. Cum enim collegium iura patronatus haberet, libertus in testamento faciendo neque praeterire id potuit neque instituere; quod erat iniquum. Itaque eodem ut videtur SCto, quo ius manumittendi civitati datum est, cautum est, ut testamento a liberto heres institui posset [24]. Quod in collegiis etiam usu venire debuit, etsi auctores tacent.

III. SCto Aproniano fideicommissam hereditatem civitati capere permissum est [25], quod num ad collegia extendendum sit, etsi omnes consentiunt, iure dubitari potest.

IV. De bonorum possessione ait Ulpianus l. 3 § 4 D. de bon. poss. XXXVII, 1: „A municipibus et societatibus et decuriis et corporibus bonorum possessio agnosci potest; proinde sive actor eorum nomine admittat sive quis alius, recte competet bonorum possessio. Sed etsi nemo petat vel agnoverit bonorum possessionem nomine municipii, habebit municipium bonorum possessionem praetoris edicto.“ Quodsi ita collegia omnia praetorio iure

---

[22] tit. C. VI, 48. coll. Glück l. c. 439—442. Savigny Syst. II, 307.

[23] vide Dirks. l. c. p. 137. Glück l. c. p. 442 sq.

[24] Dirksen l. c. p. 138. 139. Glück l. c. 426—428. Ulp. XXII, 5. l. 1 § 1 D. de lib. univ. XXXVIII, 3.

[25] Ulp. l. c. l. 1 § 1 cit. l. 26 ad SC. Trebell. XXXVI, 1. Dirksen p. 138. Glück l. c.

ad hereditatem admissa sunt, quam civili capere non potuerunt, ad inanem formam res redigetur neque privilegiorum quae supra commemorabantur ulla ratio reddi poterit. Ubi vero adhibito alio loco itidem Ulpiani [26] dubitavisse cognoverimus iuris auctores, an corpus huiusmodi eorum bonorum, quae hereditatis petitione posset vindicare, possessionem accipere deberet, *movet enim, quod consentire non possunt*, illam legem ita interpretabimur, corpus tum cum hereditatis cuiusdam (puta liberti) capax sit, bonorum possessionem posse agnoscere; quod comprobatur verbis *proinde sive actor* sq. [27].

Exempla igitur heredis instituti municipii eo tempore quo capax non erat (l. 30 D. de vulg. et pup. subst. XXVIII, 6. l. 66 § 7 D. de leg. II. l. 6 § 4 D. ad SC. Trebell.) collegiive cuiusdam (l. 1 § 15. l. 6 § 4 ad SC. Trebell.) facile referri possunt ad exceptas causas collegiave, quo etiam videntur pertinere lapides hi: Orell. 4080 *colleg(ium) fabr(um) Ursioni Secundi fil. qui facultates suas coll(egio) reliquit.* Mur. 516, 1 *coll(egium) fabr(um) Sp. Atilio Cereali qui rem suam coll(egio) reliquit.* et si qui praeterea similes reperiuntur.

Denique haec accepimus de poena eorum qui in collegio illicito sunt, l. 2 D. de extr. crim. XLVII, 11. *Sub praetextu religionis — coetus illicitos nec a veteranis tentari oportet.* l. 3 D. h. t. XLVII, 22. *Collegia si qua fuerint illicita, mandatis et constitutionibus et senatus consultis dissolvuntur; sed permittitur iis cum dissolvuntur pecunias communes inter se partiri.* cf. l. 20 D. de reb. dub. — l. 1 § 1 D. ad l. Iul. maiest. XLVIII, 4. (maiestatis crimine) *tenetur is, cuius opera dolo malo consilium initum erit quo coetus conventusve fiat.* — l. 2

---

[26] l. 1 § 1 D. de lib. univ. XXXVIII, 3.
[27] Savigny Syst. II, 303 sq.

D. h. t. *Quisquis illicitum collegium usurpaverit, ea poena tenetur, qua tenentur, qui hominibus armatis loca publica vel templa occupasse iudicati sunt.* — Id est poena legis Iuliae de maiestate, quae contra eum quoque scripta erat, cuius opera consilium initum erat, quo armati homines in Urbe essent locave occuparentur, v. l. 1 § 1 cit. Itaque qui in coetu illicito erant, discedere iubebantur, non puniebantur, nisi quod extra ordinem [28] interdum castigati sunt; contra coetum eiusmodi constituisse capitale erat. Quod significari quoque verbis Ulpiani *quisquis illicitum collegium usurpaverit* cum res ipsa fidem facit, tum Graeca interpretatio: ὁ παράνομον ποιῶν σύστημα. Idem fere evenit in alio loco, quem ita exhibet cod. Florentinus: l. 1 § 14 D. de off. praef. urbi I, 12. *D. Severus rescripsit, eos etiam, qui illicitum collegium coisse dicuntur, apud praefectum Urbi* [29] *accusandos.* Quod enim ibi legitur *collegium coisse* haud scio an Latinum non sit; movet praeterea *accusatio*, quae vix cadit in eos qui collegio illicito intersunt. Quare praeferenda est lectio vulgata *collegium coegisse*, quam opportune firmant Basilica: οἱ ἀθέμιτα ποιοῦντες συστήματα.

---

[28] Nam prima lex in titulo de extraordinariis criminibus collocata est.

[29] In provinciis apud praesidem l. 1 D. h. t. XLVII, 22. l. 11 D. de off. praes. I, 18. Dirksen l. c. p. 72.

Absoluto libro de sodalitatibus et collegiis, quae fuerunt apud Romanos, reliquum est ut de ordine eius et ratione quaedam adiiciamus. — Rem sodaliciariam nova explicatione indigere aequi, opinor, iudices haud negabunt; si qui negabunt a nobis perfectam esse, tantum abest, ut eos inter malignos censores habeamus, ut lubentissime iis ipsi assentiamur. Ea enim natura est rei sodaliciariae, ut perpetuam interpretationem vix recipiat; ita radices egit in totam rem Romanam. Teneant itaque ii, quorum de hac re iudicium est, cum in omnibus rebus scriptoris esse, quid tractare velit, quod ipsum novicii quidam critici libenti animo obliviscuntur, tum praesertim in iis rebus tractandis, quibus termini sunt aut ex arbitrio statuendi aut nulli. Equidem hac fere ratione mea disposui, ut ad rem Romanam illustrandam omnia ita converterem, ut et abstinerem a collegiorum quae tempore divisi imperii fuit forma plane singulari et tantum non servili; et praetermitterem, si quae videbantur ad rem municipalem sacramve potius pertinere quam ad publicam civilemque rationem. Quod ut recte institutum esse arbitror, tamen non ita observari potuit, ut omittenda ista nunquam attingerentur. Ita quae primo capite exposuimus de sodalitatibus sacris, earum cum re civili coniunctionem exhibent, eam partem quae est de sacris ipsis, iis relinquunt, qui his annis eo ingenio eaque doctrina rem sacram Romanorum tractaverunt, ut non sine iterata consideratione descendendume sit in arenam, quam obtinent viri, quales suntfueruntve Klausen, Ambrosch, Merkel. Deinde cum ageremus de cura publica collegiorum coercendorum et quae licita essent, quae illicita explicaremus, factum est, ut alia quanquam aliena tamen ex consilio nostro apta reciperentur, alia nobis invitis sponte se insinuarent. Deni-

que quominus *de forma collegiorum* eadem ratione ageremus, qua *de iure collegiorum* scripsimus, neque operis nostri ratio impedivit, quum id quod posuimus collegium esse instar municipii, ex forma collegiorum maxime comprobetur, neque Dirksenii in hac res posita diligentia; quae etsi laudanda est, tamen multa sunt, quae addas, sunt etiam, quae corrigas. Sed duabus ex causis factum est, ut enarrationem harum rerum maxima ex parte perfectam reponeremus. Primum cum videremus contineri ea nullas res nisi minimas et abiectas de populo et plebe collegii, de immunibus, de decurionibus et magistratibus, de partibus collegiorum decuriis et centuriis: noluimus neque lectoribus neque nobis ipsis putida diligentia molestiam creare. Cui accessit, quod non placebat operam navare, quae maximam partem frustra collocata erit, cum pleno inscriptionum Romanarum corpore edito multas difficultates, quibuscum nunc luctamur, nullo negotio expediemus; quae nunc iniquo labore imperfecte eruuntur, uno obtutu complexi. Forma collegiorum brevius ac plenius explicabitur, si res collegiaria in corpore inscriptionum Romanarum ita tractabitur, ut Boeckhius in Graecis facere solet. Sed quousque illud desiderabimus? Kellermannus morte interceptus est; utinam in eius locum succedat vir egregius Iahnius Gryphiswaldensis, cuius sub auspiciis, cum noster esset, haec scribebantur.

Adiicere licuit tabulam, quae legem collegii Dianae exhibet. Inventa est Lanuvii (*città-Lavinia*) a. 1816 sub ruderibus balnei publici, cum ipsis, quibus adfixa fuerat, ferramentis, in tabula marmorea saepe fracta, longa septem palmas cnm tribus unciis, alta tres palmas unciasque decem ex hodierna mensura Romana. Inscriptio ipsa supra sex palmas uncias octo, infra sex palmas cum una uncia occupat. Edidit eam, ut diximus p. 81 not. 11, primus *Ratti* a. 1825, deinde post decem annos ex eius libro repetita est a Clemente Cardinali. Nos secuti sumus Rattium, addidimus autem nostra supplementa, cum lapis praesertim in utroque margine aliquot literis mancus sit, ita distincta ne quem fallere possent. Denique ut fidem nostram liberaremus, addere placuit minima quaeque, in quibus a Rattio discessimus: col. I, v. 11 Ratti ᴾA. IN. II., nos *funera ii in;* ibidem R. COLLECIVM, nos *collegium;* v. 29 R. IUS, nos (*sing. num*)*mus*; col. II v. 2 R. NOMINAVERIT, nos *nominatus erit;* v. 3 R. DEFVNTVS, nos *defunctus;* v. 4 R. INIQVITATAE, nos *iniquitate;* v. 22 R. CESS., nos *gesserit;* v. 29 R. HS. XX. M.. nos *HS XX n.;* denique v. 32 R. BALINIO, nos *balineo.*

L. CEIONIO. COMMODO. SEX. VETULENO. CIVICA. POMPEIANO. COS. A. D. V. IDUS. IUN.

*LANUVI IN MUNICIPIO IN T*EMPLO ANTINOI, IN QUO L. CAESENNIUS RUFUS *DICT. III. ET PATRONUS* MUNICIPI CONVENTUM HABERI IUSSERAT PER L. POMPEIUM *. F* . . . . . . UM, QQ. CULTORUM DIANAE ET ANTINOI, POLLICITUS EST SE *IN ANNUM* DATURUM EIS EX LIBERALITATE SUA HS XV M. N. USUM , DIE *NATALIS* DIANAE IDIB. AUG. HS. CCCC. N. ET DIE NATALIS ANTINOI V. K. *DECEMB.* HS. CCCC. N. ET PRAECEPIT LEGEM AB IPSIS CONSTITUTAM SUB TETRASTILO *A*NTINOI PARTE INTERIORI PERSCRIBI IN VERBA INFRA SCRIPTA.

M. ANTONIO HIBERO P. MUMMIO SISENNA COS. K. IAN. COLLEGIUM SALUTARE DIANAE ET ANTINOI CONSTITUTUM, L. CAESENNIO L. F. QUIR. RUFO DICT. III. IDEMQ. PATR.

KAPUT EX S. C. P. R.

*QUIBUS COIRE CON*VENIRE COLLEG*I*UMQ. HABERE LICEAT. QUI STIPEM MENSTRUAM CONFERRE VO*LENT IN FUNERA, II IN* COLLEGIUM COEANT NEQ. SUB SPECIE EIUS COLLEGI NISI SEMEL IN MEN*SE COEANT CON*FERENDI CAUSA, UNDE DEFUNCTI SEPELIANTUR

*QUOD FAUSTUM FEL*IX SALUTAREQ. SIT IMP. CAESARI TRAIANO HADRIANO AUG. TOTIUSQUE *DOMUS* AUG*UST. N*OSTRIS COLLEGIOQ. NOSTRO; ET BENE ADQUE INDUSTRIE CONTRAXERIMUS, UT *E*XITUS E*ORUM* HONESTE PROSEQUAMUR. ITAQ. BENE CONFERENDO UNIVERSI CONSENTIRE DEBEMUS, UT LONGO TEMPORE INVETERESCERE POSSIMUS. > TU QUI NOVOS IN HOC COLLEGIO INTRARE VOLES, PRIUS LEGEM PERLEGE ET SIC INTRA, NE POSTMODUM QUERARIS AUT HEREDI TUO CONTROVERSIAM RELINQUAS. LEX COLLEGI.

PLACUIT UNIVERSIS, UT QUISQUIS IN HOC COLLEGIUM INTRARE VOLUERIT, DABIT KAPITULARI NOMINE HS. C. N. ET VINI BONI AMPHORAM; ITEM IN MENSES SING. A. V. > ITEM PLACUIT, UT QUISQUIS MENSIB. CONTINENTER NON PARIAVERIT ET EI HUMANITUS ACCIDERIT, EIUS RATIO FUNERIS NON HABEBITUR, ETIAM SI TESTAMENTUM FACTUM HABUERIT. > ITEM PLACUIT, QUISQUIS EX HOC CORPORE N. PARIATUS DECESSERIT, EUM SEQUENTUR EX ARCA HS. CCCC. N., EX QUA SUMMA DECEDENT EXEQUIARI NOMINE HS. I. N., QUI AD ROGUS DIVIDENTUR. EXEQUIAE AUTEM PEDIBUS FUNGENTUR.

ITEM PLACUIT, QUISQUIS A MUNICIPIO ULTRA MILLIAR. XX. DECESSERIT ET NUNTIATUM FUERIT, EO EXIRE DEBEBUNT ELECTI EX CORPORE N. HOMINES TRES, QUI FUNERIS EIUS CURAM AGANT ET RATIONEM POPULO REDDERE DEBEBUNT SINE DOLO MALO; ET SI QUIT IN EIS FRAUDIS CAUSA INVENTUM FUERIT, EIS MULTA ESTO QUADRUPLUM. QUIBUS *SING. NUMM*US DABITUR; HOC AMPLIUS VIATICI NOMINE ULTRO CITRO SING. HS. XX. N. QUOD SI LONGIUS *QUAM INTRA* MILL. XX. DECESSERIT ET NUNTIARI NON POTUERIT, TUM IS QUI EUM FUNERAVERIT, TESTA*TO TABUL*IS SIGNATIS SIGILLIS CIVIUM ROMANOR. VII ET PROBATA CAUSA, FUNERATICIUM EIUS, SA*TIS DATO AB EIS* NEMINEM PETITURUM, DEDUCTIS COMMODIS ET EXEQUIARIO, E LEGE COLLEGI DARI *SIBI PETAT.*

A NOSTRO COLLEGIO DOLUS MALUS ABESTO NEQUE PATRONO NEQUE PATRONAE NEQUE DO*MINO* NEQUE DOMINAE NEQUE CREDITORI EX HOC COLLEGIO ULLA PETITIO ESTO, NISI QUI TESTAMENTO HERES NOMINA*TUS* ERIT. SI QUIS INTESTATUS DECESSERIT, IS ARBITRIO QUINQ. ET POPULI FUNERABITUR.

ITEM PLACUIT, QUISQUIS EX HOC COLLEGIO SERVUS DEFUN*C*TUS FUERIT, ET CORPUS EIUS A DOMINO DOMINA*VE* INIQUITAT*E* SEPULTURAE DATUM NON FUERIT NEQUE TABELLAS FECERIT, EI FUNUS IMAG*INA*RIUM FIET > ITEM PLACUIT, QUISQUIS EX QUACUMQUE CAUSA MORTEM SIBI ADSCIVERI*T* EIUS RATIO FUNERIS NON HABEBITUR.

ITEM PLACUIT, UT QUISQUIS SERVUS EX HOC COLLEGIO LIBER FACTUS FUERIT, IS *DARE* DEBEBIT VINI *BO*NI AMPHORAM. > ITEM PLACUIT, QUISQUIS MAGISTER SUO ANNO ERIT EX ORDINE A*LBI* AD CENAM FACIENDAM, ET NON OBSERVAVERIT NEQUE FECERIT, IS ARCAE INFERET HS. XXX. N. *ET* INSEQUENS EIUS DARE DEBEBIT ET IS EIUS LOCO RESTITUERE DEBEBIT.

ORDO CENARUM. VIII. ID. MAR. NATALI CAESENNI . . . . . . PARIS. V. K. DEC. NAT. ANT*INOI* IDIB. AUG. NATALI DIANAE ET COLLEGI. XIII K. SEPT. NA*TALI* . *CESEN*NI SILVANI FRATRIS. PR. N . . . . NATALI CORNELIAE PROCULAE MATRIS. XIX K. IAN. *NATALI* L. *CA*SENNI RUFI PATR. MUNIC.

MAGISTRI CENARUM EX ORDINE ALBI FACTI *QUO* ORDINE HOMINES QUATERNI PONERE DEBEB*UNT:* VINI BONI AMPHORAS SINGULAS, ET PANES A. II QUI NUMERUS COLLEGI FUERIT, ET SARDAS *NU*MERO QUATTUOR, STRATIONEM, CALDAM CUM MINISTERIO.

ITEM PLACUIT, UT QUISQUIS QUINQUENNALIS IN HOC COLLEGIO FACTUS FUERIT, A SIGILLIS EIUS TEMPORIS, QUO QUINQUENNALIS ERIT, IMMUNIS ESSE DEBEBIT, ET EI EX OMNIBUS DIVISIONIBUS PARTES DUPL*AS* DARI. ITEM SCRIBAE ET VIATORI A SIGILLIS VACANTIBUS PARTE EX OMNI DIVISIONE SESQUIP*LAS* DARI PLACUIT.

ITEM PLACUIT, UT QUISQUIS QUINQUENNALITATEM *G*ESSERIT INTEGRE, IOB HONOREM PARTES SE*SQUI*PLAS EX OMNI RE DARI, UT ET RELIQUI RECTE FACIENDO IDEM SPERENT.

ITEM PLACUIT, SI QUIS QUID QUERI AUT REFERRE VOLET, IN CONVENTU REFERANT, UT QUIETI E*T* HILARES DIEBUS SOLLEMNIBUS EPULEMUR.

ITEM PLACUIT, UT QUISQUIS SEDITIONIS CAUSA DE LOCO IN ALIUM LOCUM TRANSIERIT, EI MULTA ESTO HS IIII. N. > SI QUIS AUTEM IN OBPROBRIUM ALTER ALTERIUS DIXERIT, AUT TU*MUL*TUATUS FUERIT, EI MULTA ESTO HS XII. N. > SI QUIS QUINQUENNALI INTER EPUL*AS* OBPROBRIUM AUT QUID CONTUMELIOSE DIXERIT, EI MULTA ESTO HS XX. *N.*

ITEM PLACUIT, UT QUINQUENNALIS SUI CUIUSQUE TEMPORIS DIEBUS SOLLEMN*IBUS TURE* ET VINO SUPPLICET ET CETERIS OFFICIIS ALBATUS FUNGATUR, ET DI*EBUS NATALIUM* DIANAE ET ANTINOI OLEUM COLLEGIO IN BALINEO PUBLICO PON*AT ANTEQUAM* EPULENTUR.